MASTER NEGATIVE NO. 93-81627-10

COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR:

ROETTER, FRIEDRICH
EDUARD

TITLE:

DE DAETALENSIUM
FABULA ARISTOPHANIS...

PLACE:

ERLANGAE

DATE:

1888

Master Negative #

93-81627-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ar5 Roetter, Friedrich Eduard.
DZ2 v.3 De Daetalensium fabula Aristophanis... cui adjecta est de Nubium vv. 177-179 disputatiuncula.
Erlangae 1888. O. 56p.
Doctor's dissertation at Erlangen (Ger.) university. No. 1 [illegible]

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Contents.

DE DAETALENSIUM FABULA ARISTOPHANIS

EX FRAGMENTIS IN PRISTINUM SCAENARUM ORDINEM AC SERIEM RESTITUENDA

LIBELLUS, CUI ADIECTA EST DE NUBIUM vv 177 — 179 DISPUTATIUNCULA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS EDUARDUS ROETTER.

ERLANGAE

TYPIS IUNGII ET FILII

MDCCCLXXXVIII.

Avunculo meo.

Quoi dono exiguum meum libellum,
confectum modo nec pol impolitum?
ad quem nocte dieque conferebam
rite tantum operae et sagacitatis;
quem nunc laetus in Urbem abire iussi.
o rex Juppiter omnium paterque,
quem deum aut hominem invenire possem,
cui librum potius meum dicarem,
praeter Te mihi maxume colendum
eundem mihi avunculum patremque!

Praefatio.

In nubibus cum versatus essem *) non sine cura, ut elaborarem, quae probarentur viris doctissimis, sensim ad Daetalensium epulas deferebar, ut quem vana promittendo nubium chorus frustratus esset, idem a cenantibus, si quis humanior extitisset, tamquam de mensis deliciarum copia repletis maius aliquid aut suavius mihi acciperem. nec fefellit spes: nam ut longa consuetudine atque usu familiarem invocavere me, ut una tamquam secum accumberem, cives humanissimi; nec denegavere, qui ministrabant, aut ciborum suavitatem aut vinorum dulcedinem: neque aliter ac si ipse fuissem ex Daetalensium choro, versabar inter cenantes, quaeque post cenam agebantur de scaena, ea ipsius oculis conspicere tunc mihi videbar. atque omnia cum satis oculis perlustravissem ac pectoris, ut ait Ovidius, visibus hausissem, ut in medium darem aut probanda aut exigunda, impulit me animus.

---

*) in manibus habeo, quem de nubibus incohaveram, libellum, quem nunc quidem, dum de Daetalensibns librum confecissem, infectum reliqui.

nec profecto, quamvis pro certo haberem fore qui vel coniciendi subtilitatem vel inveniendi temeritatem vel componendi confidentiam reprehenderent, confidere causae meae nolui, ut qui audacter quidem gessisse rem mihi viderer, sed ita, ut nulla in re argumentandi desideres diligentiam aut gravitatem.

Praemonitum.

Libellum meum cum iam perfecissem atque typographo traditurus essem, Fåhraei de Daetalensibus libellus, qui prodierat Upsalae a. 1886, quem omissum video in bibliotheca philologica classica, ad manus meas forte venit: quem non laudatum a me aut in usum conversum, ne quis crimini daret, iam monui.

1.

Poeta cum primum animum ad scribendum adpulisset admodum adulescentulus — nam virgini ipse se contulit in nubium parabasi, cui partum facere nondum licuisset —, eam sibi fabulam mente concepit conceptamque docendam confecit, quae omnium maxime adulescentuli et aetati conveniret et studiis. [1]) nam quos ipse sodales puer in ludo, in palaestra, in gymnasio cognoverat, quorum ipse adulescens expertus erat aut morum modestiam atque integritatem aut perversa studia licentiamque, eos ipsos tunc — qua erat virili quadam et iudicii et morum gravitate ac constantia — in scaenam traducturus erat, ut per iocum risumque acerbe moneret et patres, quantum peccarent in filiis educandis, et filios ipsos, quantam, si novam illam sophistarum oratorumque sequerentur disciplinam, et in ipsos admitterent et in patres et in patriam iniuriam.

atque Daetalensium fabulam composuit, qua fratres illos, *τὸν σώφρονα* et *τὸν καταπύγονα*, produceret, alterum vitae rusticae et simplicitati et morum castitati assuetum, alterum urbanis voluptatibus sophistarumque nova institutione turpissime corruptum: neque improbavere pueri fabulam spectatores; secundo loco posuere iudices scaenici nec

---

1) „Daetalensium fabulae argumentum iuventutis voluit institutionem esse: id quod maxime proprium fuisse iuvenis poetae vixdum ex scholarum umbraculis egressi mihi quidem videtur“. Bonstedt quaest. Aristoph. 1872 p. 9 inf.

decerat laus — Philonidae [2]), quem docere suo nomine ipse ut puer iusserat.

sed temporum iniquitate factum est, ut interiret haec ipsa fabula, quam omnium primam summus poeta cives *ἠξίωσεν ἀναγεῦσαι*: nec venere ad hanc aetatem nisi fragmenta non ita pauca quidem, sed quibus — si ceteros audias [3]) — vix aliquid magni de fabula ipsa assequare. at ego nihilo minus hoc mihi munus obeundum constitui, ut, si qua possem, ad integrum fere revocare comoediam clarissimam conarer: qua in re haud scio an non Oedipodis officium mihi suscepisse nemini videar, cui Sphingis aenigma solvundum fuerit tam multis mortalibus non solutum; ego vero, nihil motus nominis invidia, id unum opto atque cupio, ut tam bene mihi cedat res quam cesserit Oedipodi, qui solverit aenigma, occiderit Sphinga, uxorem duxerit Iocasten reginam, regnum ipse sibi acceperit. conari quidem, si possem, sum ausus.

instituí autem libellum ita, ut primum ea, quae ceteri ex fragmentis coniecere de fabula, afferrem, deinde quae

2) nub. 529 sqq.: *ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην,*
κἀγώ, παρθένος γὰρ ἔτ' ἦν κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν,
ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο.

3) cf. quae Fritzsche in commentatione de Daetal. Arist. praefatus est p. 7: „iniquo casu accidit, ut, cum multi huiusce fabulae versus aetatem tulissent, tamen ne unus quidem locus inveniri posset, e quo nexum orationis, singularum personarum partes, totius denique comoediae dispositionem facile perspiceres. nos, quamquam spes est fieri posse, ut alia omissa prius aliquando suppleantur, dissipata alia connectantur et avulsa in suo quodque loco reponantur, sive repertis forte, si quae virorum doctorum oculos effugerunt, sive reliquis pretio magis quam numero definitis, non dubitavimus tamen vel nunc nostram de Daetalensibus sententiam, haud gravissimam illam fortasse, verumtamen ut in tanta rerum obscuritate certe non ingratam dicere“. — Bonstedt l. l. p. 10: „quae ad ipsam fabulae actionem attinent, paucissima tantum extant.

ipse nova excogitavissem, copiosius exponerem, postremo vero, cum certa quaedam ac firma assecutus essem, ipsam constituere fabulam conarer partibusque inter actores, ut par est, distributis ad integrum quasi revocarem.

atque a choro quidem, ut a quo nomen fabula duxerit, faciendum videtur initium. „fuerunt autem *Δαιταλεῖς* illi sive parasiti, qui appellabantur nomine antiquo, non quivis convivae, qui ad cenam quamlibet convenerant, sed cives generis nobilitate et vitae probitate insignes,

ἐκ δυναστιῶν γεγονότες,
ἔχοντες οὐσίας, καλῶς βεβιωκότες,

ut ait Diodorus poeta comicus apud Ath. VI p. 239 D, quos ex unoquoque pago mos erat deligi, qui dicta die quovis ut videtur mense in Herculis fanis epularentur, qui parasiti ut ex omnibus pagis secundum leges eligerentur, rex archon curabat. in id autem Herculis fanum, quod fuit in Cynosarge, non ex germanis Atticis, sed ex spuriis parasiti conveniebant“. (haec fere Bergk Ar. fr. p. 133 sq., cuius verba refert Blaydes Arist. com. XII p. 98 sqq.)

id unum dubium est, qua tandem ratione talem chorum in orchestram poeta produxerit.

atque Fritzsche quidem, qui doctissimum copiosissimumque de Daetalensibus libellum composuit, in praefatione magni aliquid de choro a Rankio gaudebat allatum, qui primus omnium ad lucem protulisset Suidae locum, qui ipsum non minus fugisset quam Dindorfium, quem quamvis corruptum pondere tamen longe quam alia quaedam graviorem merito censere sibi videretur: nam illud iam apparere regi archonti, qui non solum Lenaeis praefuisset, verum etiam propria quadam ratione parasitorum curam habuisset, aliquas saltem partes demandatas fuisse et, quod aliquanto pluris faciendum esset, plane intellegi chorum Daetalensium in orchestra cenasse

et, dum cenarent in orchestra, ne spectaculum deesset cenantibus, patrem cum filio expostulavisse in scaena.

est autem Suidae locus s. v. *Δαιταλεῖς* hic: *Δαιταλεῖς, δαιτυμόνες καὶ θιασῶται καὶ συμπόται καὶ οἷον συνδαιταλεῖς. οὕτως Ἀριστοφάνης. Ἐπιδείπνιον βασιλεὺς θέαν τοῖς δαιταλεῦσιν ὥσπερ ἀξιόλογον χαριζόμενος τοῦτ' ἐδείκνυεν.*

Ranke vero ipse in comm. de Arist. vita p. CCCXI id factum voluit regis archontis opera, ut alterum quoddam drama in dramate, in ipsa comoedia quasi nova comoedia post epulas ageretur, quemadmodum in Shaksperii fabulis, quae inscribuntur Hamlet et A Summernight's-dream alia quaedam dramata inserta sunt. id a Rankio mirabiliter inventum amplexos video et Bergkium (p. 136 sq.) et Bothium (Arist. fr. p 59 sq.): qui interponendum ipsi inveniebant drama quoddam non ita ipsi Daetalensium fabulae dissimile, in quo item fierent Herculis alicuius epulae. ac talia ut confirmarent Suidae fragmento illo in usumque verterent Daetalensium Aristophanis verba obscuriora, incredibilem in modum laboravere[4]) post

4) atque Fritzsche quidem Rankium secutus scribere iussit ita (in praefatione):

ἐπιδείπνιον βασιλεὺς θέαν
τοῖς Δαιταλεῦσιν, ὥσπερ ἄξιον λόγων (*λόγου* Ranke)
[*τὸ δρᾶμα* addit R.]
χαριζόμενος + + *τοῦτ' ἐδείκνυεν.*

Bergk autem mutato *λόγων* genetivo talem exhibuit lectionem:

— — *τοῖς Δαιταλεῦσιν, ὥσπερ ἄξιον λόγον* — — (cf. vesp. 54);

iam Bothe alio modo emendandum ratus versum scripsit ita:

ἐπιδείπνιον
ὥσπερ θέαν τοῦθ' ὁ βασιλεὺς ἀξιόλογον
τοῖς δαιταλεῦσι χαριζόμενος ἐδείκνυεν.

Blaydes vero, ut ne ipse taceret de tali loco, tentavit ita:

ὁ βασιλεὺς ἐπιδείπνιον
τοῖς δαιταλεῦσιν ὡσπερεὶ θέαν τινὰ
ἀξιόλογον χαριζόμενος ἐδείκνυεν (aut *τόδε δεικνύει*).

Rankium viri doctissimi emendando, supplendo, in iamborum numerum redigendo, ut satis mireris tantum vel laboris vel acuminis vel temporis consumptum ad expediundum locum unum omnium expeditissimum.

nam iacent omnes illae virorum subtiliorum de fabulis interponendis fabulae una Toupii annotatione, qua ille dudum non Aristophanis esse, sed Theophylacti Simocattae, scriptoris Byzantini, eum locum unus verissime docuit.

exceptos enim tradit Byzantinus ille a Chosroe Persarum rege epulis esse Romanorum Persarumque duces[5]): quae epulae cum in medium processissent, Bryzacium ducem Persam, qui, cum ad Varamum a rege defecisset, a Romanis proelio captus regique missus esset, vinctum auribus nasoque abscissis introductum esse; in quem cum convivae satis illusissent, regem, ut post cenam singulare quoddam spectaculum convivis exhiberet, stipatoribus ut interficerent praecepisse.

haec fere Theophylactus ille: quem quidem assumpsisse sibi tali in re poetae comici versus, quos forte meminisset, ut exornaret orationem suam splendore quodam ac fuco,

5) hist. V. 5: *ἤδη δὲ τοῦ δείπνου μεσοῦντος ὁ Βρυζάκιος ἐς μέσον παράγεται, ῥῖνα καὶ ὦτα ἀνάπηρος. ὅτε δὲ παιγνίων τοῖς δαιτυμόσι παρανάλωμα γέγονεν, ἐπιδείπνιον ὁ βασιλεὺς θέαν τοῖς δαιταλεῦσιν ὥσπερ ἀξιόλογον χαριζόμενος τοῖς ὑπασπισταῖς τοῖς περὶ αὐτὸν ἀσήμῳ προστάξας θεσπίσματι, τῷ σχήματι τῆς χειρός, θανάτῳ τοῦτον ἐκδίδωσιν κτλ.*

quo ex loco id aliud elucet *τοῦτ' ἐδείκνυεν* Suidae verba esse, non Simocattae, ideoque fortasse in *ταὐτὸ δεικνύει* corrigenda ita: *οὕτως Ἀριστοφάνης.* (*καὶ*) *ἐπιδείπνιον βασιλεὺς θέαν τοῖς δαιταλεῦσιν ὥσπερ ἀξιόλογον χαριζόμενος* (*Σιμοκάττου*) *ταὐτὸ* (sc. *Δαιταλεῖς*) *δεικνύει.*

haud vereor, ne quis dicat; neque enim regi archonti probabile est locum fuisse in comoedia, quamvis suspicatus sit Fritzche, et totum illum locum infra facile apparebit alienissimum esse a fabula.

nec minus non posse tolerari chorum cenantem intellegitur ex aliis duobus locis, quos Fritzschium (p. 23) Bergkiumque (p. 136) secuti attulere viri doctissimi, quibus locis, quanam ratione introductus a poeta chorus sit, facillime possit disceptari.

primus est locus Orionis p. 49, 10: *καὶ Δαιταλεῖς δρᾶμα Ἀριστοφάνους, ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες καὶ ἀναστάντες χοροὶ ἐγένοντο*, quo adhibito de choro explicavit Bergk (p. 136) ita: convivio finito eosdem, qui epulati essent, tamquam chorum prodisse in orchestram. sane quidem nihil verius: id unum miror, non offendisse virum doctissimum in plurali *χοροί*, quem quidem eis, qui antecedunt, pluralibus *δειπνοῦντες* et *ἀναστάντες* facile adductum apographum falso scripsisse satis credibile videatur. nam quod affert duos choros fuisse et virorum patrum et adulescentium filiorum, qui patres secuti essent, non ita videtur probabile: aut enim fallor aut non chori duo erant, sed hemichoria duo, unus chorus. sed ne *δειπνοῦντες* quidem tolerari posse arbitror; nam unum aoristi participium *δειπνήσαντες* recte cum *ἀναστάντες* participio coniungi pro certo habeo totumque locum scribendum censeo ita: *ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνήσαντες καὶ ἀναστάντες χορὸς ἐγένοντο.*

alter locus est Etymologici Magni p. 286, 19 sqq.: *Δρᾶμα, ποίημα, πρᾶγμα, παρὰ τὸ δρῶ, τὸ ἐνεργῶ. — λέγεται δὲ δράματα καὶ τὰ ὑπ᾽ τῶν θεατρικῶν μιμηλῶς γινόμενα, ὡς ἐν ὑποκρίσει, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης. ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες ἐγίνοντο* (recte Dindorf *ἐγένοντο*) *χορός.* quem locum facile ita interpretor: drama id esse gestum, factum etc. dici autem dramata etiam ea, quae ipsa quidem vera dramata non sint, sed a scaenicis tantum per imitationem

agantur, ut dramata *ἐν ὑποκρίσει* sive ut quae per simulationem tantum fiant in scaena ab actoribus, ut sit apud Aristophanem [6].

iam haerere licet de eis, quae sequuntur, verbis „*ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες* (imo *δειπνήσαντες*) *ἐγένοντο χορός,*“ quae verba quid hoc ipso loco addita sint a grammatico, parum liquet. atque Bergk (p. 136), cuius verba refert Blaydes (p. 101), obscurum dicit totum locum nec satis integrum; at equidem hac in re Dindorfii (ed. Arist. Ox. II p. 526) auctoritatem sequi malui, qui delendo sanandum locum constituerit. nam teneo id quidem, alienissima esse ab hoc loco verba illa *ἐπειδὴ — χορός*, neque habeo, qua ratione interpretando coniungam cum eis, quae antecedunt de simulatione illa Aristophanea. acutissime vero Dindorf verba illa hoc loco removenda ad alium superiorem locum addidit ita: p. 251, 40: *Δαιταλεὺς ὁ εὐωχητής. ἀφ᾽ οὗ δρᾶμα Ἀριστοφάνους ὠνόμασται Δαιταλεῖς, ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες* (imo *δειπνήσαντες*) *ἐγένοντο χορός.* (cf. Orionis locum, quem supra memoravimus.) quem locum ut elegantissime restitutum ac completum a Dindorfio mihi persuasi, ita de illo altero haesitavi, quanam ratione ad hunc ipsum locum delata verba ab superiore illo demonstrarem.

atque deliberando inveni haec, quibus, si velis, totam difficultatem facile expedias: si recte ac vere se habet Dindorfii illa coniectura audacior, id quod non dubium mihi quidem videtur, factum est, ut apographus quidam

---

6) parum recte Bergk p. 136 sq. fabula illa, quam interponendam constituit, inductus haec verba explicat de actoribus, qui se ipsi, ut in dramate interposito, imitarentur, dicta esse — nam quae in vita aguntur, ea per imitationem ac simulationem in scaena repetuntur eaque ipsa simulata vero nomine vocantur *δράματα*, quasi vere acta et non simulata sint.

suppleturus, quae superiore loco omissa essent, falso ad locum inferiorem deferretur. atqui non potuit ita falso deferri, nisi oculis deceptus similitudine quadam verborum utriusque loci communium. iam non invenio similia his locis: *ἀφ' οὗ δρᾶμα Ἀριστοφάνους ὠνόμασται Δαιταλεῖς* et *ὡς ἐν ὑποκρίσει, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης*; ergo nihil aliud video quam omissa esse alio errore post commisso verba illa similia ideoque ad sanandum locum a nobis iam inserenda. age igitur, adde ad alterum locum (*ὥς φησιν Ἀριστοφάνης*) verba similia *ἐν Δαιταλεῦσιν*; iam utrumque locum habes restitutum ita:

1.	2.
p. 286, 19: *λέγεται δὲ δράματα καὶ τὰ ὑπὸ τῶν θεατρικῶν μιμηλῶς γινόμενα, ὡς ἐν ὑποκρίσει, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης ἐν Δαιταλεῦσιν.*	p. 251, 40: *Δαιταλεὺς ὁ εὐωχητής. ἀφ' οὗ δρᾶμα Ἀριστοφάνους ὠνόμασται Δαιταλεῖς, ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνήσαντες ἐγένοντο χορός.*

ceterum ex his ipsis locis non solum venisse in orchestram chorum epulatum et non epulaturum intellexeris, sed etiam aliud, si placet, inveneris Daetalensium fragmentum „(*ὡς*) *ἐν ὑποκρίσει*“, quo de fragmento infra paucis exponemus.

sed de choro quidem Daetalensium hactenus; satis enim mehercule ex Herculis fano post cenam egressum potum et epulatum non sine petulantiis, ut suspicor, iocisque in orchestra postremo ut chorum constitisse apparuit.

iam tempus est ex orchestra, si placet, in scaenam ascendere, ut ipsius fabulae vestigia persequamur.

atque mirum in modum dubitant haesitantque ut de re incertissima viri docti de prologo ceterisque episodiis, ut ex eis, quae invenere ac disputavere, vix aliquid magni percipias.

atque Fritzsche quidem perpaucis prologum sive fabulae exordium in libello suo attigit p. 69 sq.: fragmentum

(203 Kock. 199 Blaydes.) *ἢ χόνδρον ἕψων, εἶτα μυῖαν ἐμβαλὼν*
ἐδίδου ῥοφεῖν ἄν

cum primum legisset, a prologo se iudicasse esse petitum, in quo filii nequam petulantia et in patrem impietas a servo mediocriter perstricta esset; sed mutata postea sententia de coquo seu servo nescio qua in alia fabulae parte narrari iam se suspicari etc.

idem Fritzsche alio loco (p. 111) scribit exorsam fabulam esse ab eius modi ominibus, quae homo obscoena (?) sibi rite procurare debuerit, a cultu Herculis, epulis in Cynosarge, contracta cum parasitis familiaritate: quo ex loco, quid assequi liceat, qui volet, videat!

iam audiundus Bothe est: qui nescio quid artificiosissime excogitavit de prologo p. 63 sq.: a sene patre actum prologum esse; patrem in scaena diversam filiorum indolem descripsisse, priusquam in cenam ut parasitus prodiret; ac referendos esse ad eum prologum versus a Photio p. 337, 15 et Polluce IX, 88 sumptos, quos coniungendos inter sese arbitratur ita:

(207 K. 234 Bl.) (14) *οὐδ' ἔστιν αὐτῷ στλεγγὶς οὐδὲ λήκυθος,*[7]
(208 K 227 Bl.) *οὐδ' ἀργύριόν τι κατακεκερματισμένον;*

---

7) in priore versu exhibet vir doctissimus Bergkii coniecturam *αὐτῷ* pro *αὐτῇ* vel *αὕτη*, quod est in libris. eandem sequitur Kock emendationem (Com. Att. fr. p. 443), nisi quod servato *αὐτῇ* addit etiam de puella versum dici posse, cuius partes sine idonea ratione in hac fabula fuisse negaverit Bergk. — mea quidem sententia verissime Bergk de puellae partibus; tacendum enim est mulierculis in Daetalensium fabula. suspicor ego mutandum *αὐτῇ* esse in *αὐτοῦ* = ibi; patrem enim senem de agresti vita haec verba dixisse:

οὐδ' ἔστιν αὐτοῦ στλεγγὶς οὐδὲ λήκυθος, i. e.

in agro sive ruri, ubi ipse habitaret cum filio probo ex more paterno, non esse strigilim neque alabastrum.

nam dixisse patrem de filio rustico et frugi (cf. Bergk p. 155). ceterum totam eam orationem etiam in colloquio senis cum tribulibus suis inter cenam locum habere potuisse; idque veri similius videri propterea, quia, quae illis contraria de filio urbano memoraret iratus senex

(216 K. 206 Bl.) (15) *ἀλλ' οὐ γὰρ ἔμαθε ταῦτ' ἐμοῦ πέμποντος, ἀλλὰ μᾶλλον πίνειν, ἔπειτ' ᾄδειν κακῶς* etc.,

iambicis tetrametris conscripta essent; ad quod genus metri, alienum prologi, transire a senariis potuisse virum bonum gliscente affectu.

audio ego quidem; sed primum dubito de cena; nam in orchestra cenandum erat tribulibus illis ut choreutis, in scaena autem prologus agendus. iam quid senex ille pater, cum accumberent illi in tricliniis cenaturi? accumberet ipse, ni fallor; nam fuit ex parasitis; verum ubi quaeso accumberet? in orchestram igitur descendendum ei erat; at quid negoti actori in orchestra, cui quidem in scaena una gerenda res sit? ac ne quis Agamemnona Aeschyleum vel Cassandram obiciat in orchestram advenisse et non in scaenam! nam curru illi vehebantur nec locus fuit neque aditus in scaena currui; tum vero ex orchestra ascendebant in scaenam: hic noster cum primum in scaena de filiolis disputavisset nescio quae, post, ne excluderetur cena, in orchestram descenderet? — at enim ipse mutata sententia Bothe colloqui senem voluit inter cenam cum tribulibus de filiorum moribus; at enim manibus, opinor, garrulo illi os oppressissent ceteri, si talia dicundo iocum omnem atque hilaritatem a cena prohibere conatus esset. — atque talia cum inter sese collocuti essent cenantes, in scaena fabulam actam esse interpositam illam[8]), qua servus callidior inter cenam aliquam

8) quam ad fabulam non pauca fragmenta vir doctus refert (p. 60

domesticam — eam enim cum ipsa fabula communem fuisse — herum stupidissimum ludificatus esset.

talia Bothe, cuius ratio ne cui probanda videatur, non timeo; nihil enim video perversius.

iam intellegitur, quam non absolverint aut restituerint prologum viri subtilissimi; id unum extitit certissimum, non fuisse patrem ex parasitis neque cum parasitis ei ullum de filiorum indole inter cenam colloquium.

atque haec quidem de prologo; iam de episodiis quae vocantur audiundi sunt viri doctissimi: ac Fritzsche quidem (p. 103) mirabile quiddam excogitavit, quo Aristophanem suspicaretur totius fabulae finem et subitam causae (sc. quae patri erat cum filio nequissimo) inclinationem fecisse: intellexisse poetam nec patris senis querelas, qui difficilis, querulus, laudator temporis acti a se puero, castigator censorque minorum iure haberi posset, solas sufficere nec vero ipsius luxuriam filii, quoniam illa aetas, cerea flecti, blanditiis voluptatis ac vitiorum illecebris non facile resisteret, sed per deos insigne quoddam scelus, quo novae disciplinae alumnus se obstrinxisset, addendum esse: placuisse maxime parricidium; quod iam dudum monstrare debuisse illum locum, cuius vim nemo unus ad id temporis perspexisset, Tryphonis apud Athen. IX, 400 a de lepore:

ἀπόλωλα· τίλλων τὸν λαγὼν ὀφθήσομαι.

nam leporem dici marinum, animal venenatum tam in potu quam in cibo dari solitum, quod nefarius servus mali filii instinctu strinxisset et pelle nudavisset. tunc demum intellegi, cur perditus coquus exclamaret perisse se, quippe qui in eo esset, ut deprehenderetur.

miror equidem doctissimi viri sagacitatem neque est, cur defendam filium de veneficio a tanto viro accusatum;

sqq.) fr. 2—13 i. e. fr. 203. 202. 212. 200. 214. 215. 213. 206. 205. 219. 201. 204 ed. Kock. — ad eandem refert Bergk fr. 203. 200. 204.

sed talem fuisse finem comoediae propter unum illum versum, quem non minus recte de lepore silvatico interpretari licet, non possum a me impetrare, ut credam; nec video, quid obstet, quominus ipse, si possim, alium finem inveniam.

itaque missum facio leporem sive marinum sive silvaticum; ad eam enim scaenam festinat disputatio, qua de morum ac studiorum pravitate expostulantem fecit poeta patrem cum filio ac totius fabulae potissimum institutum ac consilium illustrabat. (cf. Bergk p. 138, cuius verba refert Blaydes p. 101.)

quam ad scaenam retulere longe plurima fragmenta viri doctissimi et metro anapaestico et iambico composita, quae cuncta ad litigium quoddam pertinere facile tibi persuaseris. sunt autem primum versus anapaestici hi:

1. (223 Kock. / 210 Blaydes.) *ᾆσον δή μοι σκόλιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου*
κἀνακρέοντος

et (222 K. / 212 Bl) A: *πρὸς ταῦτα σὺ λέξον Ὁμήρου ἐμοὶ γλώττας,*
τί καλοῦσι κόρυμβα;
† † † *τί καλοῦσ' ἀμενηνὰ κάρηνα;*
B: *ὁ μὲν οὖν σὸς ἐμὸς δ' οὗτος ἀδελφὸς φρασάτω,*
τί καλοῦσιν ἰδυίους;
† † † *τί καλοῦσιν ὀπυίειν;* [9])

---

9) de verbis placet aliquid addere; nam de v. 3: „*ὁ μὲν οὖν σὸς ἐμὸς δ' κτλ.*“ multum laboravere viri doctissimi; sed quod adhuc emendationis allatum est, non ita videtur probabile. Fritzsche quidem quod coniecit (p. 44) „*ὁ μὲν ὗς σός, ἐμὸς δ' οὗτος ἀδελφὸς κτλ.*“, non vereor, ne cui probarit. concedo ego quidem — nam quis repugnet? — *ὗν, ὑηνίαν* etiam in stolidos homines et in stultitiam dici, ut apud Romanos suem Minervam, suem oratorem, ut apud Pindarum *Βοιωτίαν ὗν.* id unum teneo, quo facile suem omnem evertas: si fratrem ille suem vocasset seque simul illius suis fratrem, ipsum hercule ridiculum fuisse. — iam ipse, cum *μὲν οὖν* particulas prorsus non tollendas esse arbitrarer neque a pronomine *οὗτος* substantivum *υἱός* nimis abhorrere, ita fere conieci: *ὁ μὲν οὖν σός γ' υἱός, ἐμὸς δ' ἀδελφὸς φρασάτω, τί καλοῦσιν κτλ.* in sequentibus versibus cum incerta omnia dubiaque essent, Seidleri et Dobraei emendationes elegantissimas recepi *ἰδυίους* et *ὀπυίειν.*

quibus de versibus ita explicant: patrem cantare aliquod pristini poetae carmen filium iussisse, quemadmodum in nubibus iuberet Strepsiades pater Phidippidem filium (cf. Dindorf p. 530. Bergk p. 143); tum eundem de Homerica dialecto ex eo quaesivisse, ut, quantum non didicisset, ipsum convinceret; sed filium, cum Homerica illa ut prisca obsoletaque nesciisset, ipsum alia de iure, de Solonis legibus legumque formulis obscuris vocabulisque reconditis quaesiisse a fratre, ut, quanta ille esset ut agrestis inscitia, ipse convinceret. (cf. Bergk p. 145, cuius verba referunt Bothe p. 67 et Blaydes p. 108 sq. — Kock p. 449.)

2. (226 K. / 211 Bl.) *ὦ παρανοία* (*πορνεία* Bergk) *καί ἀναιδεία,* quae verba senis esse in filium male moratum dicta, postquam in manifesto scelere deprehensus esset (Fritzsche p. 60. cf. Bergk p. 143.)

3. (225 K / 218 Bl.) *ἐθέλω βάψας πρὸς ναυτοδίκας ξένον ἐξαίφνης...,* quo versu filium, gravissimis patris obiurgationibus ac querelis excandescentem, peregrinitatis se illum minari esse postulaturum (Bothe p. 70); nam poeta comico hoc dignum esse, quod, novitiae disciplinae nefariam audaciam ut ostenderet, ipsum parentem a filio in ius rapi fecisset (Bergk p. 153, Blaydes p. 114, qui utriusque verba refert.) atque hunc ipsum versum suspicatur Fritzsche (p. 60), nisi forte vehementer erraret, totam illam scaenam clausisse.

4. (224 K. 204 Bl.) *καὶ δελφακίων ἁπαλῶν κωλαῖ καὶ χναυμάτια πτερόεντα,*

quibus verbis inter alia mensam urbanam suam descripsisse filium suspicatur Bothe (p. 65.)

post anapaestos ad idem litigium retulere iambos tetrametros hos:

1. (216 K. 206 Bl) *ἀλλ' οὐ γὰρ ἔμαθε ταῦτ' ἐμοῦ πέμποντος, ἀλλὰ μᾶλλον*
πίνειν, ἔπειτ' ᾄδειν κακῶς, Συρακοσίαν τράπεζαν
Συβαριτίδας τ' εὐωχίας καὶ Χῖον ἐκ Λακαινᾶν,[10])

quos versus dicere patrem senem, qui aegre ferret, quod tam male cessisset sibi consilium, qui puerum in urbem bonis artibus instituendum misisset, depravatum autem recepisset (Bergk p. 151, cuius verba refert Blaydes p. 105. cf. Kock p. 446.)

2. (218 K. 203 Bl.) *καὶ λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς, χρυσοῦς ἔχων κικίννους,*
quibus verbis reprehendere patrem in filium, quod laevem genam et capillos artificiosius compositos gereret. (Bergk ibid., Bothe p. 65, Blaydes p. 104, Kock p. 447.)

3. (217 K. 231 Bl.) *εἰ μὴ δικῶν τε γύργαθος ψηφισμάτων τε θωμός,*
quo versu senem, a privatis malis transeuntem ad publicam calamitatem, conqueri de nimia iudicandi cupiditate deque legum novandarum studio, quo Atheniensium animi tenerentur; nihil praeterea Athenis inveniri. (Bergk ib.,

10) exhibent libri tamquam quartum versum verba haec: *κυλίκων μέθυ ἡδέως καὶ φίλως*, de quibus diversa secutos video viros doctissimos: retinent alii, corrigunt, emendant, laborant (Fritzsche p. 82—88, Bothe p. 64), alii delent, ut ab interpolatore quodam addita. equidem delenda esse mihi persuasi, cum nihil aliud viderim nisi *κυλίκων* pro glossemate additum esse ad *Λακαινᾶν* genetivum, *μέθυ ἡδὺ καὶ φίλον* (nam ita corrigenda verba constitui) ad *Χῖον* (*οἶνον*).

Bothe p. 70, Blaydes p. 119, qui utriusque verba refert. Kock p. 446.)

4. (219 K. 222 Bl.) *ἔσειον, ᾔτουν χρήματ', ἠπείλουν (πάλιν), ἐσυκοφάντουν,*

quae verba dubium esse, utrum senex de improbis calumniatoribus, quorum tum magna Athenis copia erat (Bergk p. 152, Blaydes p. 116), an de se gloriabundus filius improbus dixerit. (Kock p. 447. cf. infra not. 30.)

5. (220 K. 241. 42 Bl.) *εἰς τὰς τριήρεις δεῖ μ'* (?) *ἀναλοῦν ταῦτα καὶ τὰ τείχη,*
εἰς οἷ' ἀνάλουν οἱ πρὸ τοῦ τὰ χρήματα ...,

quibus versibus id conqueri senem, quod Athenienses temere profunderent opes publicas, quibus, si maiorum exempla sequi vellent, muri restituendi et naves comparandae essent. (Bergk p. 152, cuius verba refert Blaydes p. 222. cf. Kock p. 448.) — ceterum hos versus singillatim allatos a Suida quid in unum viri docti coniunxerint, parum video (vide infra not. 31.)

post tetrametros iambicos constituerunt trimetros huc referendos esse hos:

1. (198 K. 213 Bl) f.: *ἀλλ' εἶ σορέλλη καὶ μύρον καὶ ταίνιαι.*
p.: *ἰδοὺ σορέλλη· τοῦτο παρὰ Λυσιστράτου.*
f.: *ἦ μὴν ἴσως σὺ καταπλαγήσει τῷ χρόνῳ.*
p.: *τὸ καταπλαγήσει τοῦτο παρὰ τῶν ῥητόρων.*
f.: *ἀποβήσεταί σοι ταῦτά πη τὰ ῥήματα.*
p.: *παρ' Ἀλκιβιάδου τοῦτο τἀποβήσεται.*
f.: *τί δ' ὑποτεκμαίρει καὶ κακῶς ἄνδρας λέγεις καλοκἀγαθεῖν ἀσκοῦντας;* p.: *οἴμ', ὦ Θρασύμαχε,*
τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων τερθρεύεται;

quibus versibus Fritzsche (p. 47) sub finem comoediae suspicatur locum fuisse; nam priorem locum (*πρὸς ταῦτα σὺ λέξον* fr. 222/212), ubi senex filium, tamquam aliquis veles, leniter lacessivisset, tum secutos eos esse

apparere, cum ille gravi ira percitus comoedia iam ad finem vergente paulo ante, quam iudicium rite instrueretur, de moribus adulescentis vehementer conquestus esset maximeque prodigam nebulonis luxuriam notasset, qua, ut nimio equorum studio in nubibus Phidippides, omnibus senem bonis, nisi tandem occurreretur, eversurus esse videretur. tum vero iuvenem tot, quae sibi obicerentur, probrorum impatientem in haec verba erupisse:

ἀλλ' εἰ σορέλλῃ καὶ μύρον καὶ ταίνιαι.

audio equidem virum doctissimum; sed quae de luxuria filii prodiga tali loco narravit, ea parum intellego. nam quae eis, qui antecederent, versibus in filium pater dixerit, ex ipsis, ni fallor, qui sequuntur, qui praesto sunt, intellegere licet. num vero de luxuria filii pater vel verbum memorat? nihil minus; quem sophistam aut oratorem singulis suis verbis imitatus sit, hoc non sine risu atque ira pater edocet. quid igitur ante hos versus dixisse patrem statuamus? nihil aliud quam artificiosiorem eius orationem nec tolerabilem esse, ut qua sophistas illos oratoresque nefarios turpiter imitaretur; bellum ipsi quidem ut puero et pulchellum id videri, sed aliis auditu turpissimum. tum puer ille indignabundus, quod talia curaret pater morosior: tu vero, inquit, capulus es et unguenta et vittae h. e. capularis senex, cuius morositas atque importunitas vix possit perferri. ad quae senex clamans: „hoc illud est, inquit, quod modo verbis attigi: en capulum tuum — 'a Lysistrato petiisti.“ [11])

11) multum versatos video viros doctissimos in his versibus corrigendis; nec tamen, opinor, emendatione opus est. nam Bothe quidem, cum in primo versu mutavit *ἄλλων*, *σορέλλῃ*, *καὶ μύρον καὶ ταίνιαι* i. e. aliorum esse ista et unguenta et vittas, nihil attulit. sane quidem dicimus, id quod ille *πὺξ καὶ λάξ* prohibet, senem cinellum esse et unguenta et vittas, non profecto, quod ille fingit, ea unguenta vittasque, quae ad cultum pertinent elegantiorum hominum et iuniorum, sed quae ad curanda mortuorum corpora, quale corpus esse patris capularis dicere non erubuit filius. — in sequentibus versibus nova quaedam et inusitata verba indagavere viri doctissimi, qualia prompsisse filium ut oratorum imitatorem suspicarentur: pro *καταπλαγήσει* quidem librorum invenit Bergk, quod in Hesychii glossa est, *καταπλιγήσει* i. e. de gradu deicieris, tum *ἀποβύσεται* pro *ἀποβήσεται* (quasi verba et non os conferciatur), quod Kock mutavit in *ἀποκείσεται*. — miror ego quidem, quanta illi sagacitate hinc illinc contulerint, unde emendarent; emendationes ipsas ut probem, non adducor; nam satis mihi illud „terrore concutiere“ oratorum illam nimiam gravitatem verborumque in rebus minoris momenti speciem ac vim significare videtur, nec minus hoc alterum „ad finem aliquem evadent verba tua“ Alcibiadis perfidam illam ambiguitatem ac providentiam. — longe aliter sentio de *καλοκἀγαθεῖν* verbo, quod idem coniecit Bergk. nam quod senex, unde petierit filius, nescire se clamat, ex eo apparet inauditum aliquid filium attulisse. huc adde varias librorum lectiones, e quibus facile *καλοκἀγαθεῖν* verbum quamvis novum atque inauditum recte conieceris. — de Thrasymacho rectissime Kock, Suevernium (de nubibus p. 27) secutus, absentis sophistae ridicule implorare patrem auxilium explicat, quamvis acriter repugnarit Fritzsche p. 53 sq. (cf. Bergk p. 149).

quid igitur? de luxuria morumque impudentia num prius expostulasse dicamus patrem cum filio — id quod profecto attingere non potuit nisi cum summa quadam ira atque ardore (cf. *ὦ παρανοία καὶ ἀναιδεία* fr. 226/211.) — ac cum ita expostulasset, tum demum de parvolis istis vitiolis nimii orationis ornatus ac sophistarum imitationis cum risu quodam ac ioco verba fecisse? at vereor, ne quis hebetiores nos iure dicat, ut qui ne id quidem satis cognoverimus a minoribus ad maiora patri expostulanti pergendum fuisse. non igitur ad finem illius litigii hunc locum, imo ad ipsum initium spectare contendimus.

2. (200 K / 198 Bl.) *οὐκ αἰσχυνοῦμαι τὸν τάριχον τουτονὶ*
πλύνων ἅπασιν, ὅσα σύνοιδ' αὐτῷ κακά,

quos versus dubitat Kock (p. 441), utrum in improbum

filium pater fraterve an in probum improbus dicat. nam Bergk, Bothe, Blaydes ad scurrilem istam comoediam interpositam pertinere suspicabantur. (Bergk p. 142, Bothe p. 60 (!), Blaydes p. 102.)

3. (199 K. / 237 Bl) σοὶ γὰρ σοφίσματ᾽ ἔστ᾽; — ἐγὼ ἐζήτησα μέν,
σὺ δ᾽ εὐθὺς ἀπεδίδρασκες ἐκ διδασκάλου, 12)

quibus versibus Kock explicat (p. 441) certare inter sese fratres, uter subtiliora didicisset. ac cum probus de utilis scientiae a se collectae copia dixisset, improbum respondere: ridiculum; num illum artium utilium scientiam possidere sibi videri? cui probum illum: se certe quaesivisse; illum vero statim ex ludo, in quem pater initio utrumque misisset, aufugisse.

4. (201 K. / 215 Bl.) εἰ μὴ μεταλάβῃ τοὐπίπεμπτον, κλαέτω,

quo versu suspicatur Kock filio improbo, si causa cecidisset, acerrimam poenam minari patrem videri: itaque fratrum expostulationem fortasse in modum litis institutam fuisse. (cf. Bergk p. 153.)

5. (206 K. / 209 Bl.) φέρ᾽ ἴδω, τί σοι δῶ τῶν μύρων; ψάγδαν φιλεῖς;

quibus verbis filium improbum suspicatur Kock per ironiam fratri de unguentis suis quicquid velit offerre.

6. (209 K. / 208 Bl.) ἔγνωκ᾽ ἐγὼ δὲ χαλκίον [τοῦτ᾽ ἔστι κοτταβεῖον]
(ἱστάναι) καὶ μυρρίνας, 13)

---

12) sic ipse, librorum lectionem secutus, correxi, Kockii tenens rationem, qui ἐζήτησα μήν primus emendavit. — de aliis ad hunc locum coniecturis vide Kock p. 441, Blaydes p. 121.

13) quo in fragmento explicando et emendando nimium video laboris consumpsisse viros doctissimos neque tamen, quod probes, assecutos. atque Fritzsche quidem p. 95 sqq. primum Jacobsium, Groddeckium, Schweighäuserum, Dindorfium reprehendit, quod magno errore tria verba τοῦτ᾽ ἔστι κοτταβεῖον non a Comico, sed a scholiastae vel ipsius Athenaei interpretatione profecta esse statuissent;

quem versum improbo attribuit Kock: ineptias fratrem aliquas didicisse; se vero multo utiliora, cottabi ludum scoliorumque cantum.

---

dein Dindorfium reicit, qui trochaicos versus fuisse suspicatus esset; iam ipse iambos tetrametros affert hunc in modum:

ἔγνωκ᾽ ἔγωγε. χαλκίον τοῦτ᾽ ἔστι κοτταβεῖον,
τὸ δ᾽ ἆθλον ἱστάναι (σε χρὴ) καὶ μυρρίνας ⏑ – ⏓:

quae explicat ita: „teneo equidem: est hoc vas, cottabi ludo destinatum; sed praemium te oportet constituere et myrtorum ramulos (apponere; nam in fine verbum deest)". nam senem suspicatur locutum haec esse, qui ἀλλ᾽ οὐ γὰρ ἔμαθε ταῦτ᾽ ἐμοῦ πέμποντος supra questus esset, quocum hoc fragmentum et metri et sensus necessitudine conveniret: vidisse enim senem tum filium malum, tum reliquos epulones (?) ludentes cottabo; quam ludicram voluptatem in Herculis alumnos (?) egregie cecidisse. — admiror equidem summi viri doctrinam atque elegantiam; ut probem, non adducor. nam cum desidero equidem senem, qui de conviviorum luxuria epulones istos, e quibus filium statuit Fritzsche, iratus acrioribus verbis persequatur; iam video senem aliquem imbecillum stolidum, qui cottabeio astans, cum ludi rationem nesciat, multis verbis, ut intellegat satis pro ingenii tarditate, edocendus est (cf. Cratin. apud Athen. ib.: τὸν κότταβον προθέντας πατρικοῖς νόμοις); atque ubi satis cepit, tum — o simplicitatem et senilem et rusticam! — repetit, quae modo cognovit, scilicet quo firmius memoria ipse teneat! — longe aliam emendandi rationem iniit Bergk (p. 150), qui satis facili mutatione τοῦτό γ᾽ ἐς τὸ κοτταβεῖον scripsit, ut ahenum illud dicatur praemium propositum esse. at ahenum teneo ego quidem vas illud fuisse, quod cum aqua repleverant, ludum illum acetabulorum mergendorum inibant; quod pro praemio constitutum esse ab adulescentulis cottabi studiosioribus Bergkio parum assentior. — iam Bothe locum correxit ita (p. 69):

ἔγνωκ᾽ ἐγὼ δὲ χαλκίον τούτοις ἔπι
τὸ κοτταβεῖον ἱστάναι καὶ μυρρίνας:

nam praeter alia, quae calleret, dixisse filium nequam etiam cottabi ludum sese didicisse; subtiliter inventum, sed parum probabile vel propterea, quod ab Athenaei loco, quo de praemio agitur, prorsus abhorret (τὸ δὲ ἆθλον Ἀριστοφάνης ἐν Δαιταλεῦσιν κτλ.). eadem ratione corruit Kockii illa, quam supra attulimus, audacior scriptura, qui deletis quat-

7. (210 K. 217 Bl.) *ὁ δ' ἡλιαστὴς εἶρπε πρὸς τὴν κιγκλίδα,* quem versum Kock ita explicat (p. 444): iam finito eo iudicio, quod commemoraretur fr. 201/215, aliquem, quomodo id factum esset, narrare. (cf. Blaydes p. 114).

8. (211 K. 240 Bl.) *τὸν Ἐρεχθέα μοι καὶ τὸν Αἰγέα κάλει,* 14)

---

tuor verbis nihil retinuit nisi *χαλκίον καὶ μυρρίνας.* — unam veram emendandi rationem mihi quidem illi ipsi, quos acrius vituperavit Fritzsche, Jacobs et ceteri inisse videntur, cum ut glossema verba tria delenda censuerunt. sane quidem rectissime Bergk (p. 150) *κοτταβεῖον* poetae esse confirmat, propterea quod id, quod ostendere vellet Athenaeus, Aristophanem praemia cottabi commemorare, plane non perspicuum fieret; at non continuo de glossemate desperandum est. ego quidem ipse ut glossema delenda censeo tria verba, non *τοῦτ' ἔστι κοτταβεῖον*, sed *χαλκίον τοῦτ' ἔστι*, quae verba ab interprete quodam ascripta suspicor substantivo *κοτταβεῖον* esse, ut, quid *κοτταβεῖον* esset — hoc loco falso quidem; nam praemium hic significat, non vas ahenum — explicaret. iam iambici trimetri extitere, quos aptissimos ego quidem arbitror:

ἔγνωκ' ἐγὼ δὲ κοτταβεῖον ἱστάναι
καὶ μυρρίνας κτλ.

h. e. „ego vero constitui praemium cottabi aliquod ponere, ut corona murtea cincti ludamus." ceterum qua ex scaena fluxisse eos versus putaverim, suo loco demonstrabo. — attingere hic placuit Cratini locum obscurissimum, quem ibidem laudat Athenaeus: *Κρατῖνος ἐν Νεμέσει. τῷ δὲ κοττάβῳ προθέντας ἐν πατρικοῖσι νόμοις τὸ κεινέου ὀξυβάφοις βάλλειν μὲν τῷ πόντῳ δὲ βάλλοντι νέμω πλεῖστα τύχης:* quibus de verbis ceterorum coniecturas, e quibus vix lucis aliquid adfulgeat loco obscurissimo, vide apud Kock p. 50 et 51. ego conieci ita:

τὸν δὲ κότταβον
(λέγω) προθέντας τοῖσι πατρικοῖσιν νόμοις
κενοῖς ἐν ὀξυβάφοισι βάλλειν μὲν ποτόν,
τῷ δὲ τὸ ποτὸν βάλλοντι πλεῖστα τύχης νέμω

h. e. cottabo proposito iubeo ex more paterno in vacua acetabula potionem inicere, ei autem, qui iniciet, summam attribuo fortunam.

14) nam quod Dobraeus proposuit *τὸν Ἐρεχθέα με καὶ τὸν Αἰγέα κάλει*, quamvis subtiliter inventum, non convenit propter articulum.

quem quidem versum seni patri tribuunt Bergk p. 134, Bothe p. 71, filio bene morato Fritzsche p. 121, alicui Kock p. 445: iubere sive senem patrem sive filium bene moratum sive aliquem Aegeum Erechtheumque, reges Atticorum antiquos, testes patronosve advocari.

restat trochaicum fragmentum unum:

(221 K. 262 Bl.) *ὅστις αὐλοῖς καὶ λύραισι κατατέτριμμαι χρώμενος,*
εἶτά με σκάπτειν κελεύεις;

quos versus Bergk suspicatur p. 149 item ex scaena aliqua comoediae, ubi pater cum filio male morato litigaretur, depromptos esse; iuvenem enim aegre ferre, quod pater ipsum, qui in urbe otiosam et mollem degerat vitam, rus abire ibique operi intentum esse iuberet. (cf. Kock p. 448.)

Ceterum de exitu fabulae pauca memoravit Fritzsche p. 133: illud omnes non modo homines, verum etiam pecudes intellegere, iuvenem male moratum in iudicio condemnatum fuisse, minime absolutum. quamobrem tristem exitum Daetalensium habuisse comoediam, sicuti Nubes, Babylonios, alias. nec vero illud iam obscurum esse cuiquam posse — id quod ego quidem sedulo nego; nam quis ex pauculis illis aliquid intellexerit? — artificiose admodum Daetalensium fabulam compositam fuisse.

atque haec quidem explicuere de ipso dramate viri doctissimi; iam quid profeceris de dramate restituendo?

Wecklein vero quod attulit in „bair. Gymnasialbl." 1887, 1, p. 44, probandum non existimavi; nam *τὸν προδότην καλεῖν τινα* h. e. eum ipsum, qui prodiderit, aliquem vocare hoc ego quoque satis intellego; *τὸν Ἐρεχθέα* vero *καὶ τὸν Αἰγέα καλεῖν τινα* h. e. vocare aliquem eum ipsum, qui rex fuerit antiquus Atticorum et heros, Erechtheum et eum ipsum regem heroemque Aegeum, hoc profecto non intellego; nam non Erechtheus ipse rex erat senex ille aut Aegeus, Thesei pater illustrissimus, sed rusticus quidam pater simplex atque incorruptus.

unum id satis apparuit litigium nescio quod fuisse inter patrem et filium improbum; cetera omnia satis obscura atque incerta mansere.

2.

Jam ipsis nobis aggrediundum opus est, si ex hac tanta rerum obscuritate certi aliquid firmique efficere possimus.

atque primum quidem de litigio illo, si placet, disceptabimus: nam satis id quidem omnium primum apparet ex metrorum, quae praesto est, varietate, non una scaena contineri potuisse totum illud, cuius mansere reliquiae, litigium, sed duabus vel tribus, nisi forte eandem scaenam credideris partim iambicis et trimetris et tetrametris, partim tetrametris et trochaicis et anapaesticis compositam fuisse.

teneo igitur ego quidem, ex pluribus episodiis fragmenta illa fluxisse, quorum unum trimetris iambicis et tetrametris anapaesticis — nam hos ad eandem scaenam refero — compositum fuisse dico, alterum tetrametris iambicis, tertium trochaicis. atque de primo quidem illo episodio, quod ab initio iambis, post anapaestis compositum dico, cuius plurima illa aetatem tulere fragmenta, ea ipsa fragmenta secutus haec constituenda censui:

rure venit cum filio probo, quem ipse rite educaverat, pater senex. obvius fit, ni fallor, fortasse cum sodalium turba comissaturus [15]) alter filius, quem in urbem educandum dederat sophistis: salvere inter se iubent; at longe

15) huc refero illud de cottabeo fragmentum 209/208:

ἔγνωκ' ἐγὼ δὲ κοτταβεῖον ἱστάναι
καὶ μυρρίνας;

quae verba prodeuntem dixisse filium comissaturum suspicor ad sodales conversum: „cottabi ludum instituendum sese censere, ut tempus fallerent, allatis et praemio et murtorum ad coronandum ramulis."

alia sentiunt pater et filius, quorum alter, paterna cura ac timore cruciatus, filium forte oblatum gaudet, alter tristi voltu non sine ira aliqua id unum meditatur, quomodo quam primum et patrem et fratrem effugiat. iam verbis placidioribus compellat frater rusticus fratrem: gaudeat, quod pater et ipse frater in urbem ad se venerint: valere iubeat sodales malos istos turpiter comissaturos; iam patris lateri sese adiungat ut filius; incredibili id et patri et sibi fore gaudio, si secum esse malit quam corruptiores adulescentulos sequi. ad quae inhumane frater respondet rusticorumque reprehendit et inscitiam et morum asperitatem; ipsum se ex elegantioribus esse et prae se ferre et doctrinam magnam aliquam ingeniique eruditionem et morum vitaeque urbanitatem; illos scilicet nihil scire nisi *ἄγειν κακκάβην* [16]) et *σκάπτειν*, quae vita homini politiori non vitalis esset. tum frater rusticus, ne sperneret scientiam suam, monet; nam ipsum se satis politum esse artibus ingenuis neque sophismatum ignarum; ad quae cachinnum edit urbanus ille (fr. 199/237): *σοὶ γὰρ σοφίσματ' ἔστ'*; sed gravissime reicit rusticus fratrem:

ἐγὼ ἐζήτησα μέν,
σὺ δ' εὐθὺς ἀπεδίδρασκες ἐκ διδασκάλου.

iam ira incenditur frater, veritate convictus; statim confutaturum sese stipitem illum acerrimis verbis minitatur. tum vero pater, qui filiorum adhuc colloquium attenderat, in medium prodit: comiter reprehendit urbanum filium; monet, ne inhumane se gerat in fratrem; at filius, incitatus patris verbis, durius iam ipsi patri respondet fr. 200/198:

οὐκ αἰσχυνοῦμαι τὸν τάριχον τουτονὶ (i. e. fratrem rusticum)
πλύνων ἅπασιν, ὅσα σύνοιδ' αὐτῷ κακά.

16) nam huc refero fragmentum 215/200: *κἄγειν ἐκεῖθεν κακκάβην.*

iam ipse pater acrioribus verbis impudentiorem filium increpat: quid iactaret illam bonam ridiculamque doctrinam? nihil, nihil didicisse eum, nisi ridiculam illam superbiam eiusque ipsius ignorantiae confidentiam. oratorum illorum, quos audivisset, orationem ac verba imitari et artificiosius comptiusque loquendo et ipsi et aliis stultioribus speciem quandam fraudemque obfundere. — at tantum abest, ut commoveatur filius patris verbis, ut contra iam ipsum patrem obruat conviciis[17]): capulum iam esse patrem et unguentum et vittas; quid mortuum curare vivorum negotia? tum vero magno cum risu pater: hoc illud esse, a Lysistrato enim petitum esse capulum illum! ad quae cum minitatus esset filius: brevi concussum terrore iri patrem, videret, ne male sibi verba evaderent audaciora: ridet senex filium, qui primum Alcibiadis, deinde oratorum illorum cinaedorum iterum verba foede retulisset; sed cum in postremo *καλοκἀγαθεῖν* verbo haesisset pater, cachinnum edit filius ipsiusque singularem effert eruditionem atque doctrinam; sed quid tale quidem curare rusticum, qui nihil intellegat nisi de pecude aut stercore! — iratus iam senex anapaestis experturum sese dicit illius eruditionem illam, quam iactaret, doctrinamque: iam caneret fidibus sumptis — id quod maxime deceret adulescentulum ingenuis artibus imbutum — Alcaei vel Anacreontis carmen aliquod, si posset[18]); at negat ille se poetarum illorum ineptiorum tale quicquam posse; nam Euripidis vel Agathonis sese didicisse divina carmina, non prisca illa poetarum pessimorum. iam cum ira ac risu senex quaerit, num etiam Homerum poetam malum iudicaret; si tam singularem prae se ferret doctrinam, certe de Homeri dialecto quaerenti sibi responsurum esse[19]). at filius: obsoleta esse Homeri carmina nec talia vana viliaque sese didicisse, quae ne minimum quidem afferrent utilitatis. iam frater, qui paterna doctrina imbutus esset, sibi ipsi de eis verbis, quae iam propositurus esset ex legibus, responderet, si posset; hanc esse scientiam utilem et qua magnus aliquando atque illustris existas; atque ipsum sese id agere studiosissime, ut orator iureque consultus fiat causarumque actor fraudum legum peritissimus, cuius eloquentia ne veritatis quidem vi vinci possit; tum et accusando et defendendo iuraque in ipsius usum torquendo et laudes sibi incredibiles et divitias innumerabiles congesturum esse congestisque opibus vitam sese acturum esse eam, quae una sit vitalis, omni luxuriarum voluptatumque genere repletum[20]). tale sibi se constituisse consilium, atque confecturum esse, ut qui et natura et ingenio incredibilem in modum ad talem vitam impellatur.

17) cf. magnum illud fragmentum 198/213.

18) fr. 223/210: *ᾆσον δή μοι σκόλιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου κἀνακρέοντος.*

tum vero pater ira summa incensus indignum clamat et dictu et auditu[21]); hoc esse nihil aliud quam ipsam turpitudinem ac scelera sectari; iam scire se, quam foedis ad id tempus deditus vitiis ac voluptatibus filiolus fuerit; sed finem fore tantorum flagitiorum; nam taedere se quidem tantae pravitatis atque amentiae; rus se domum abi-

19) fr. 222/212: pater: *πρὸς ταῦτα σὺ λέξον Ὁμήρου ἐμοὶ*
γλώττας, τί καλοῦσι κόρυμβα;
† † † τί καλοῦσ' ἀμενηνὰ κάρηνα;
filius: *ὁ μὲν οὖν σός γ' υἱός, ἐμὸς δ' ἀδελφὸς*
φρασάτω, τί καλοῦσιν ἰδυίους;
† † † τί καλοῦσιν ὀπυίειν.

20) huc refero fr. 224/204: *καὶ δελφακίων ἁπαλῶν κωλαῖ καὶ χναυμάτια πτερόεντα*, quibus verbis explicat filius ille asotus, qualem ipse aliquando, ubi magnus atque illustris extiterit, mensam deliciarum plenam sibi instituturus sit.

21) fr. 226/211: *ὦ παρανοία καὶ ἀναιδεία.*

turum neque in urbe filium remansurum; imo curaturum se esse, ut labore, fame, siti, ut par esset, puniretur, coerceretur, corrigeretur filiolus delicatior; tum de luxuria illa et accusandi defendendique impudentia aut vivendi licentia nihil iam cogitaturum.

ad quae filius, non sine magna ira patri irridens, facturum sese respondet, ut pater solus cum fratre redeat, si redeat: non se eum esse, quem impune quis lacessat; non frustra iuris legumque peritum se esse; iam in patrem ipsum primum eloquentiae facturum periculum; scire se, qui certissime perdat patrem; ad [22]) nautodicas iturum, de peregrinitate litem illi intenturum; tum videat senex, ne maledixisse filio se paeniteat!

abit filius; finitum iam hoc primum episodium est; iam ad alterum nobis est transeundum.

paucissimi sunt tetrametri illi

fr. 216/206: *ἀλλ' οὐ γὰρ ἔμαθε ταῦτ' ἐμοῦ πέμποντος, ἀλλὰ μᾶλλον*
πίνειν, ἔπειτ' ᾄδειν κακῶς, Συρακοσίαν τράπεζαν
Συβαριτίδας τ' εὐωχίας καὶ Χῖον ἐκ Λακαινᾶν,

quos ex hoc altero dico episodio fluxisse; id quidem suspicari ex eis licet patrem loqui de filii urbani pravis moribus ac studiis non sine magna querela ac dolore apud nescio quem, qui in scaena adest, de quo infra videbimus.

iam trochaicos illos tetrametros

fr. 221/202: *ὅστις αὐλοῖς καὶ λύραισι κατατέτριμμαι χρώμενος,*
εἶτά με σκάπτειν κελεύεις;

ad finem fabulae relego; nihil enim vidi aut aliud aut aptius. nam cum filius queratur, num rus se pater abducere velit, qui, lyrarum tibiarumque usu consumptus, ad omne

---

22) fr. 225/218: *ἐθέλω βάψας πρὸς ναυτοδίκας ξένον ἐξαίφνης. . .*

opus rusticum inutilis sit, qualia antecessisse conicias? certe, ni fallor, senem laetum dixisse: iam vicisse se, iam victum filium, victos malos cives esse; iam nihil morae fore; rus se illum improbum abducturum, ut foderet, araret, laboraret.

atque talem fuisse fabulae exitum dico, ut a patre rus traheretur nequissimus ille; sed ne confidentius aut audacius rem gerere videar, iam ea mihi afferenda sunt, quibus, quae de exitu modo ut certa memoravi, certissime confirmentur.

duo sunt loci, quorum alterum, quantum afferret ad restituendam fabulam, non satis cognovere homines docti, alterum — id quod miror — paene ut alienum a fabula neglexerunt. sunt autem hi: (fr. 211/240) *τὸν Ἐρεχθέα μοι καὶ τὸν Αἰγέα κάλει* et (fr. 229/236) *εἶχον δὲ καὶ οἱ ἥρωες πανοπλίαν, καὶ (ὡς) δῆλον ἐκ τῶν Δαιταλέων*: quibus locis quid assequi possimus, iam experiundum est.

atque priore quidem loco Erechtheum vocari et Aegeum iubet senex (nam alium, qui iubeat, non video). quis ille Erechtheus? quis Aegeus? reges illi antiqui atque heroes Attici. quid hos vocari iubet? nempe ut veniant, ut adsint, ne ab omnibus destitutus a malo filio, a malis iudicibus turpiter bonus pereat.

quid sequitur? nihil aliud quam prodisse in scaenam sive unum heroem sive duos, ut opem ferrent seni probo, ut germanum verumque Atticum prisca integritate atque honestate eum esse et non peregrinum ipsi ut reges prisci testarentur.

audacius id fortasse videatur, reges illos subito trahi in scaenam; sed nihil verius est. nam cedo alterum locum, quem scholiasta scripsit ad Vespas, quo, cum inermis esset, quem Bdelycleon afferri iusserat, heros Lycos, ne quis inermes semper fuisse in scaena heroas suspicaretur, addit scholiasta, hoc quidem loco inermem heroem esse,

aliis vero in fabulis etiam omnibus armis indutos (*ἐν πανοπλίᾳ*) prodisse in scaenam heroas, id quod liceat perspicere ex Daetalensibus. quo loco quid quaeso efficitur? nempe heroas omnibus armis indutos fuisse in Daetalensibus; atque cum ipse senex Erechthea et Aegea vocari iubeat, a filio probo suspicor, nihil video aut certius aut verius, quam partes egisse in fabula illos priscos Atheniensium reges.

videre licet, quantum iam profecerimus. primum omnium id statuendum est, quibus in angustiis versatus heroas illos senex auxilio sibi vocaverit. ac facillime id quidem expedias: nam cum avolasset ad iudices filius nequissimus, ut patrem accusaret accusandoque, si posset, perderet, quid quaeso interponendum esse res ipsa monet? nihil aliud quam eam scaenam, qua redit filius, accedit iudex *ναυτοδίκης*, defendit sese magna cum gravitate, sed frustra, ut apud talem iudicem, pater senex, condemnat iudex senem, ut peregrinitatis convictum, atque abduci iubet in carcerem; tum vero senex, ab omnibus destitutus mortalibus, desperata iam prope salute heroas priscos precibus adit; succurrant sibi clamat, filium probum vocatum mittit; atque subito heroes adsunt ex machina, ut senem innocentissimum ipsi absolvant.

iam habemus etiam illud episodium, cui tetrametros iambicos supra attribui, cum queri apud nescio quem senem cum ira ac dolore exposui; nam illum nescio quem satis apparet vel Erechtheum vel Aegeum fuisse vel hos ambos.

nec minus de exodo, quam supra paucis attigi, certiores ita sumus facti. nam liberatus cum senex esset ab heroibus, qualem exitum statuendum censeamus? mehercule nullum alium, quam quo patris manibus traditur et castigandus et emendandus filius; itaque huic exodo inserendi trochaici illi tetrametri sunt, nisi vehementer me fallit ingenium.

iam confecimus tria episodia, confecimus exodum.

restat unus prologus, quem si restituerimus, totum *δρᾶμα* ad finem aliquem perduxerimus. atque excogitando inveni haec: conspicitur in scaena fanum Herculis [23]), ubi cenam iniere parasiti: cuius fani patet in scaena aditus posticus, quo ineunt exeunt ministri, servi, coqui; contra qua porta egressuri sunt parasiti, ea remota est ex spectatorum oculis. astat in scaena ad posticam illam cum mensis paratis coquus quidam, qui praefuit dapibus comparandis ac ministrandis: qui *προλογίζει* nescio quae de coquorum servorumque astutia, calliditate, fraudibus, de herorum nimia confidentia ac stultitia [24]); interea finis adest cenae; iam patinas mensas tollunt, qui ministravere, servi; coquus autem, dum intus vino indulgent non sine clamore aliquo ac strepitu, leporis pinguioris frusta optima antea sibi reposita modo cum mira quadam ridiculaque voluptate gustaturus est, cum subito rusticus ille senex cum filio accedit ad fanum. terrore perculsus primo

---

23) in Cynosarge, quod in fanum Herculis parasitos ex spuriis Atticis cenatum convenisse supra memoravimus p. 11, hoc Daetalensium convivium institutum voluisse poetam suspicatur Fritzche p. 25 sqq. vel propterea, quod in ipso Daetalensium dramate de peregrinitatis causa sermo incidisset. sane quidem de Cynosarge facile cogitaveris propter album illum caniculum, qui est in fragmento 204/239:

τί δαί; κυνίδιον λευκὸν (λεπτὸν) ἐπρίω τῇ θεᾷ
ἐς τὰς τριόδους;

sed totus locus dubius atque incertus videtur et quo vix aliquid assequare: me quidem fateor non habere, quibus satis explicem.

24) huc refero fr. 203/199: *ἢ χόνδρον ἕψων, εἶτα μυῖαν ἐμβαλὼν*
ἐδίδου ῥοφεῖν ἄν,

quem locum coquo illi ita attribuo, ut de audacia impudentiaque coqui cuiusdam vel magistri vel amici verba faciat non sine magno ioco risuque: ita illum ludificatum esse herum stolidiorem, ut, cum alicam coxisset, muscam iniceret et cum musca sorbendam daret.

ille perii inquit; nam leporem comedens deprehendor (*ἀπόλωλα· τίλλων τὸν λαγὼν ὀφθήσομαι*); tum vero, cum senem illum rusticum propius conspexisset, animum suum consolatur et confidenter sermonem init; rogat, ni fallor, senex, ut qui rure modo venerit, quid novi factum sit in urbe, quidnam epularum hic inierint cives et alia nescio quae[25]; postremo quae causa ipsi fuerit veniundi, pluribus exponit, ni fallit me ingenium, fere ita: filium ut videret, rure in urbem se demigravisse. quem filium pluribus annis ante in urbem se dedisse erudiundum atque educandum sophistis; quem iam absolutis studiis brevi magnum atque illustrem inter cives futurum se sperare[26]).

---

25) de eis, quae praesto erant, et dapibus et unguentis et vasis (cf. fr. 234/229 *ἄγγη μυρηρά*) verba fecisse cum coquo et patrem et filium facile conieceris ex tribus fragmentis, quorum uno fr. 206/209 *φέρ' ἴδω, τί σοι δῶ τῶν μύρων; ψάγδαν φιλεῖς;* ni fallor, de unguentis, quicquid velit, daturum se filio promittit coquus, altero fr. 205/230: *τῆς μυρηρᾶς ληκύθου | πρὶν κατελάσαι τὴν σπαθίδα, γεύσασθαι μύρου* idem monet eundem ut agrestiorem, spatham prius immittendam esse in vas unguentarium, quam gustare liceat (si quidem recte Kock, quem sequendum censui, supplevit *ἀλλ' οὐ δυνήσει* p. 443), tertio denique fr. 214/208: *οὔκ, ἀλλὰ τοῦτό γ' ἐπίχυσις τοῦ χαλκίου* idem coquus roganti cum ioco petulantiaque ni fallor patri de vase quodam (!) respondet non esse id (!), quod senex falso dixisset, sed infundibulum etc. — ad eundem locum refero, si licet, fr. 213/223: *ταχύ νυν πέτου καὶ μὴ τροπίαν οἶνον φέρε*, quibus verbis ad servum aliquem conversum coquum suspicor monuisse, ut patri seni poculum vini non vapidi afferret, ne ille multa colloquendo sitiret. ceterum ex hoc ipso loco si quis coniecerit cenantibus parasitis non semper suavissimum vinum ministratum esse, sed interdum vel vappam, equidem non impedio; nam vappa ni praesto fuisset, quid moneret coquus, ne afferretur?

26) nam magna aliqua cum spe descendisse patrem in urbem vel ex eo videtur satis apparere, quod filium alterum probum atque incorruptum secum esse voluit, quem profecto domi reliquisset, non secum in urbem deduxisset, si, qualis extitisset filius urbanus, satis sciisset.

ac multis verbis collaudat filioli ingenium, industriam, artem, doctrinam ipsumque praedicat ut omnium patrum felicissimum, qui talem filium haberet. coquus autem audito illius filioli nomine non ignotum sibi esse respondet illius nominis puerum; quem ex delicatis illis cinaedisque esse, qui corrupti a sophistis omni generi voluptatum serviant.

at pater, primum paene exanimatus subito terrore, ubi ad se rediit, ut et ipse se consolaretur et coquum confutaret, talia fere vociferatur: parum credibilia illa sibi quidem videri; nam bene cognitum sese habere filium, ut patrem; aut puerolum illum delicatolum, de quo talia memorasset, non suum esse aut falsa fictaque attulisse coquum de filio. — quo de responso indignatus coquus ad servos sese convertit, qui — nam surrexere iam cives parasiti ex fano domum excessuri — omni supellectile collata ipsi abscedere per scaenam parant. abiens coquus valere iubet patrem rusticum: di dent, quae exoptet, iuventque eum, ne praeter expectationem res cadat; se quidem, si ille ad bonum exitum causam perduxerit, placentam sub vesperum ei missurum[27]).

abit coquus; iam intrat chorus orchestram; mansere in scaena senex pater cum filio.

iam tempus est ad unum coniungere, quae singula invenimus de prologo, episodiis, exodo, interpositisque, ut res postulat, chori et parodo et stasimis et exodo totum fere drama, quoad eius coniciendo assequi possis, restituere: acto prologo, cum remansissent pater et filius incerti dubiique, parodus fit chori ita, ut singuli epulones ex cena et vino exultantes non sine petulantiis ac clamoribus introeant. iam obviam factum conspiciunt senem rusticum; rident, illudunt; ne tam tristi ac minaci voltu

---

27) nam huc referendum censui fr. 202/207: *ἐγὼ δ' ἰὼν πέμψω πλακοῦντ' ἐς ἑσπέραν χαρίσιον.*

se intueatur, cum ioco monent. timentem, rogantem de filio consolantur edito cachinno: ne angeretur pater, quod delicatolus ille et cinaedus esset; nam alios plerosque pueros similem in modum cinaedos factos esse; eam esse optimorum hominum, sophistarum, quam sequerentur iam plerique mortales, disciplinam illam ac virtutem etc. iam abituri domos parasiti filiolum ipsum aspiciunt cum delicatulorum turba praetereuntem; oblatos iam tales filiolos, qualem ipse haberet, monent patrem: agnoscit pater filium; adit; colloquuntur, disputant, litigant, conviciantur; postremo ad ius vocaturus abit filius nequissimus.

chorus autem, cum talia vidisset, abire noluit, sed, quorsum evaderet res, expectaturus remansit.

iam episodio finito chorus ad spectatores conversus parabasim [28]) loquitur. finita parabasi redit filius improbus cum iudice nautodica. sed alia tollenda est difficultas, priusquam pergimus. nam quattuor iam personas in scaena video, patrem, filium probum, iudicem nautodicam, filium improbum; igitur cum tribus tantum locus sit, unus auferendus est. et facile id efficias: nam filii probi in sequenti altero episodio partes fere nullae videntur; ergo amoveatur. finge finito episodio primo, cum iam abiret filius improbus, alterum, ut retineret fratrem, ne tale quid committeret, secutum ipsum abisse et, cum nihil profe-

28) huc refero fragmentum illud parvolum, quod invenimus p. 16 (ὡς) ἐν ὑποκρίσει. nam parabasi suspicor cum alia monuisse poetam tum haec: iam quae videant oculis auribusque exaudiant spectatores, ficta illa quidem esse ac simulata, ut quae ab scaenicis tantum agantur et non facta sint in vita: verum videndum esse, ne, quae poeta effinxerit, ea cottidie fiant a civibus civiumque filiis magno cum damno et publico et privato; itaque ne parvi faciant cives, quae fabula illa per iocum risumque commoneantur. — item ad parabasim aut primam aut alteram referenda est, ni fallor, oraculi illius mentio, quod affert scholiasta ad Equ. 1013 (fr. 230/235) et attigisse poetam in Daetalensibus tradit.

cisset, finita parabasi ut personam mutam ad patrem redisse; iam duo magna profeceris: non solum sustuleris personarum difficultatem, sed etiam humanissimum aliquid atque suavissimum de fratre rustico addideris. unus igitur, cum abissent filii, remansit pater senex; ad chorum conversus queritur de iudicio futuro; solatur chorus, casurum causa filium, ut falsae accusationis convictum, nisi quintam partem calceolorum tulerit [29]). repudiat id tenue solatium pater: iam omnia sese timere ex urbanis illis, ut vel causae suae, quamvis verae iustaeque, diffideret; tacitus sedet velato capite, dum parabasim edit chorus.

iam filius probus redit patrisque lateri adhaeret; nam procedunt in medium iudex nautodica et alter filius. tum tumultuarium fit illud iudicium; in scaena sunt pater, filius probus ut persona muta, iudex, filius improbus. iam finito iudicio abeunt iudex et filius accusator; manent pater cum filio et Scythae famuli patrem abducturi; clamat pater, Erechthea et Aegea testes advocare iubet filium; ipse, adsint liberaturi, magna voce precatur.

sequitur chorus, cuius cantibus senex tum querelas, tum execrationes filii et iudicis, tum Erechthei Aegeique advocationes admiscet.

iam quamvis renitentem abducunt senem Scythae famuli, cum — prodit machina advectus heros Atticus Erechtheus, senem probum vereque Atticum liberaturus. excipit chorus regem heroem magnis laudibus atque honoribus; iam senex e manibus famulorum solutus ad regem sese proicit, ne conici se turpiter bonum in vincula contra ius fasque pateretur. tum Erechtheus revocari iubet et iudicem et accusatorem illum; redit ut persona muta filius improbus; iam tollitur, quod modo factum erat, iudicium; redintegratur causa; iam senex filium, iudicem, cives, ae-

29) fr. 202/215: εἰ μὴ μεταλάβῃ τοὐπίπεμπτον, κλαέτω.

tatem accusat tanta vi ac gravitate [30]), ut de causa desperent et iudex et filius. atque Erechtheus probat laudatque senis probitatem, veritatem, constantiam, omni

30) duas fuisse suspicor huius scaenae partes, alteram trimetris, alteram tetrametris iambicis compositam. atque trimetris quidem Erechthea dico appellasse et erexisse senem patrem, deterruisse Scythas, ne secum traherent innocentissimum hominem verissimumque Atticum; tum respondisse mirifice elevatum senem et apud Erechthea gravissime ipsum defendisse, contra iudicem illum nautodicam, qui peregrinum sese iudicasset, accusavisse: ruri se natum esse ex patre simplicissimo et iustissimo neque exuisse umquam mores illos paternos (cf. fr. 237/226: *ἐψυχρολουτήσαμεν*), sed prisca integritate ac gravitate semper se vixisse cum rusticis, quorum vita ac mores mirum quantum abhorrerent ab urbanorum elegantia atque humanitate; neque enim esse ibi aut strigilim aut alabastrum ad curanda corpora (cf. fr. 207/234 *οὐδ' ἔστιν αὐτοῦ στλεγγὶς οὐδὲ λήκυθος*) neque pro aere gravi, quos elegantiores homines sibi voluissent, nummulos pusillos (cf. fr. 208/227: *οὐδ' ἀργύριον ἔστιν κεκερματισμένον*); nec magnos ibidem immodicosque illos fieri sumptus, quippe cum rustici homines, qua morum essent prisca simplicitate, aspernarentur delicatulorum illorum luxuriam; imo parce ac duriter vivi rure, quo largius patriam possent navibus, militibus, opibus pro suis quisque viribus adiuvare, maiorum suorum, optimorum civium, exempla secuti (cf. fr. 220/242: *ἐς ἃ ἀνάλουν οἱ πρὸ τοῦ τὰ χρήματα*). quos mores quamdiu retinuissent urbani, bonos fuisse et iustos et pios et patriae virtute sua laudem addidisse: verum ubi morum mollities illa sophistarumque oratorumque cultus percrebuisset, ex illo tempore sycophantas extitisse (fr. 219/222: *ἔσειον, ᾔτουν χρήματ', ἠπείλουν πάλιν, | ἐσυκοφάντουν*; nam sic scribendum censui contra recentiores) et heliastarum nomine ad causas iudicandas accessisse (fr. 210/217: *ὁ δ' ἡλιαστὴς εἶρπε πρὸς τὴν κιγκλίδα*) etc. talia fere senex cum exposuisset, ab illo publico damno ad suum transit filium, qui incredibili cum impudentia atque impietate vel patrem sese, a quo genitus esset, accusando mentiundoque pessumdare conatus esset. iam excandescens ira tetrametris narrat pater, quid factum esset de filio: ceteris cum praecelleret puer ingenii acumine, in urbem sese dedisse eum edocendum, ut aliquando magnus existeret inter cives et patri et familiae et pago laudem honoremque adderet: verum longe

crimine absolvit, ut unum vere Atticum; at iudicem falsi iudicii, filium impietatis falsaeque accusationis condemnat; castigandum laboribus atque emendandum verberibus patri rus abducendum tradit [31].) tum abit abeuntemque laudes chori senisque prosequuntur; abit idem vinctus cum Scythis nautodica; manet pater cum filiis.

iam quid statuendum videtur de filiis? quorum utrumque personam mutam esse constituimus. iam qui colloquatur pater in exodo cum mutis? ergo amoveantur muti illi, ut pro interlocutoribus redeant. quid autem facilius, quam improbum illum fingere, cum iam in eo esse animadvertisset, ut rus condemnatus abduceretur, aufugere conatum cursim abisse e scaena? sequitur hortante patre, hortante choro filius, sequuntur, qui vix abiere, Scythae. manet pater solus in scaena, dum redeant filii.

sequitur, ni fallor, chori altera parabasis finitaque parabasi redit filius probus, reducitur vinctus a Scythis,

aliter rem sibi cessisse, atque speravisset; non enim ea, quae ipse iussisset, illum didicisse in urbe, sed bibere, male canere, luxuriosius epulari (cf. fr. 216/206: *ἀλλ' οὐ γὰρ ἔμαθε ταῦτ' κτλ.*); atque ut nitidioribus illis puerolis placeret, laevem esse genis mentoque ut anguillam aureosque gestare capite cincinnos (cf. fr. 218/203: *καὶ λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς, χρυσοῦς ἔχων κικύννους*); praeterea prae se ferre iurum, legum, causarum, iudiciorum execrandam aliquam peritiam, qua optimum quemque opprimeret, ut paene diceres causarum quasi cistam scitorumque cumulum eum esse (cf. fr. 217/231: *εἰ μὴ δικῶν τε γύργαθος ψηφισμάτων τε θωμός*) etc.

31) atque legem dedisse Erechthea regem suspicor fere hanc: ne quis sophistarum aut oratorum in disciplinam daret filios: qui dedisset, ut is magna multa multaretur; quam solvisset pecuniam, eam in naves et muros impendendam esse (cf. fr. 220/241: *εἰς τὰς τριήρεις δεῖν ἀναλοῦν ταῦτα καὶ τὰ τείχη*). — [quo de fragmento unus monet verissime Kock *δεῖν* infinitivum esse, qui pendeat a *φημί* vel tali verbo p. 447. — ac seiungendos hos versus esse, quos ad unum fragmentum (220 K.) conflavere homines doctissimi, mihi persuasi].

si ita placet, qui aufugerat, improbus; patri traditur. iam abeundum ei una secum pater monet et, quamvis precibus fatigantem[32]), manibus repugnantem postremo abducit.

iam finis adest fabulae; chorus postrema locutus nescio quae egreditur ex orchestra; iam, si placet, plaudere licet spectatoribus.

restat, ut schema totius fabulae adiungam:

προλογίζει coquus cum servis;
accedit pater cum filio probo: colloquuntur. tum abit coquus; intrat chorus.
(fr. Kock.: 203. 212. 234. 206. 205. 214. 213. 202).

chori parodus.

episodium primum: chorus, pater, filius probus; post eum sodalium turba filius improbus; fratrum et patris cum improbo litigium. accusaturus abit improbus ille; sequitur, ut retineat, frater. unus remanet pater.
(fr. 209. 215. 199. 200. 198. 223. 222. 224. 226. 225. 201.)

chori parabasis: (cui tribuo fragmentum illud (ὡς) ἐν ὑποκρίσει) et fr. 230. (?)

episodium alterum: (redit ut persona muta filius probus.) fit iudicium; condemnatur senex; abeunt iudex et filius improbus; manent Scythae, senem vi abducturi.
(fr. 211).

chori stasimon alterum.

episodium tertium: adest Erechtheus; pater. revocatur iudex; redeunt filii ut personae mutae. multatur iudex, condemnatur filius. abeunt heros et iudex. aufugit filius improbus; sequitur filius probus cum Scythis. remanet pater.

32) fr. 211: ὅστις αὐλοῖς καὶ λύραισι κατατέτριμμαι χρώμενος, εἶτά με σκάπτειν κελεύεις;

(fr. 237. 207. 208. 220 vers. poster. 219. 210. 216. 218. 217. 220 vers. prior.)

chori parabasis altera.

exodus: redeunt filii; vinctum pater improbum rus abducit.
(fr. 221.)

chori exodus.

partes autem tribuendae sunt protagonistae patris, deuteragonistae coqui et filii improbi et Erechthei, tritagonistae filii probi et iudicis, id quod apparet ex hac tabula:

personae dramatis:

coquus	deuteragonista
pater senex	protagonista
filius probus	tritagonista
chorus Daetalensium	
filius improbus	deuteragonista
iudex nautodica	tritagonista
Erechtheus heros	deuteragonista.

haec fere habui, quae de Daetalensibus conscriberem; quae si qua ex parte probanda iudicaveris, satis mihi magnum effecisse videbor.

Adiciundam constitui huic de Daetalensibus libello, quam dudum conscripseram, de nubium vv. 177—79 commentatiunculam hanc:

exhibent libri ad unum omnes[1]) versus hos:

Στρ. εἶεν· τί οὖν πρὸς τἄλφιτ' ἐπαλαμήσατο;
μαθ. κατὰ τῆς τραπέζης καταπάσας λεπτὴν τέφραν,
κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβὼν
ἐκ τῆς παλαίστρας θοἰμάτιον ὑφείλετο.
Στρ. τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν; κτλ.

quibus in versibus, ut explicarent de summi philosophi vel artificio vel furto, mira quadam sagacitate versati sunt viri doctissimi neque adhuc, ni fallor, aut interpretando aut transponendo aut emendando satis lucis attulere loco obscuriori[2]).

ipse quod ad talem locum aggressus sum, id primum deprecandum putavi, ne quis confecisse rem recte gerendo me unum mihi videri suspicaretur: de meo quidem, si quae possem, dare in medium volui, quae utrum probanda sint an exigenda prius diiudicent, qui elegantius doctiusve in interpretandis versantur summi comici fabulis.

instituti autem libellum ita, ut primum de ceterorum interpretationibus, coniecturis, emendationibus copiosius disputarem, deinde de eis, quae ipse invenissem, pluribus exponerem.

atque quae scholiasta explicat ad v. 178: *ἐπεὶ ἔδεσμα μὲν οὐδὲν ἦν ὡς ὀβελίσκου δεῖσθαι, πρὸς δὲ τὸ ἐπιλαβέσθαι καὶ ἁρπάσαι τι καὶ κατασχεῖν τοῦτο ἦν χρήσιμον, ὀρθὸν ὄντα,*

1) nisi quod a Rav. manu priore (auctore Inv.) transpositis palaestra et mensa in v. 177 *κατὰ τῆς παλαίστρας* et in v. 179 *ἐκ τῆς τραπέζης* vitiose scriptum est: restituta tamen lectio usitata est a manu posteriore.

2) referre placet Reisigianum illud (in ed. nub. p. XXIV): „haec verba, bona venia summorum virorum dixerim, neminem esse vere interpretatum puto".

ὀβελίσκον ἔκαμψεν, ἵνα δι' αὐτοῦ κλέψαι τὸ ἱμάτιον δυνηθῇ et aliter *διὰ δὲ τοῦ κάμψαι ὀβελίσκον καὶ ἡ κλοπὴ καὶ ἡ ἀφαίρεσις τοῦ ἱματίου ἐγένετο. ἐπειδὴ ὁ ὀβελίσκος ὀρθός ἐστιν, ἔκαμψεν αὐτόν, ἵνα δι' αὐτοῦ κλέψῃ τὸ ἱμάτιον*, eadem omnes antea recepere Aristophanis editores, additis de furto notis, qualis est nota Bergleri in Burmanni editione: satis acerbam insectationem esse, si quidem Socrates philosophus, non vulgarem alias gravitatem prae se ferens, in palaestra, ubi pueri nudi exercerentur, vestem furatus esset. comicum autem hic etiam videri, ut alibi saepe, secutum Eupolim esse, qui et ipse furantem introduxisset Socratem etc.

primus omnium haesitavit de loco Brunck; qui cum ferri non posse articulum sibi persuasisset, deleto articulo sanavit versiculum ita: *ἐκ τῆς παλαίστρας ἱμάτιον ὑφείλετο.*

Godofredus autem Hermann[3]), qui unus fere omnium subtilissime interpretatus est Graecorum fabulas, Brunckianam illam emendationem primo ita correxit, ut *θ' ἱμάτιον* legendum proponeret, quemadmodum in Pluto 985 *θοἰματίδιον* pro *θ' ἱματίδιον* antea lectum esset, ac ne quis offenderet in *τε* particula post participium adhibita, conferendos esse Aeschyli Agam. vv. 97 sqq. aliorumque alios. verum talia cum emendasset, non ita valde ipse suam probavisse[4]) videtur emendatiunculam, quippe qua nihil allatum esse ne sublato quidem articulo ad sanandum aut recte interpretandum locum intolerabilem facile intellegeret: nam[5]) quid tandem vestem vel pallium surripuisse magistrum callidissimum? an pannis vestimenti esurientium aviditatem sedaturum? vendendum prius vel oppignerandum ei pallium fuisse, ut emeretur, quo cenarent;

3) ed. Inv. 1810 vol. IV p. 102.

4) cf. quae Beck addit de epistula ib.

5) vide Hermanni ed. alt. 1830 p. 29.

at quid in ea re ioci? tum quid in palaestra mensam? unde subito cineres sparsos in illa mensa? unde quod pro circino esset veruculum? postremo quo tandem modo circino circulum describentem vestem (!) furari Socratem potuisse? satis quidem id apparere illud ipsum *ἱμάτιον*, ut parum aptum, mutandum esse; itaque ipse coniecturam proposuit acutissime inventam, qua quasi uno ictu non solum profligatae eae omnes viderentur difficultates, sed etiam totum illud acerbissimum vestimenti furtum sublatum esset, mutato versu ita:

ἐκ τῆς παλαίστρας θυμάτιον ὑφείλετο.

intellegendam autem totam rem esse ita: esurientem cum esurientibus discipulis adstitisse Socratem in palaestra ad mensam, in qua et hostia et, quibus ad sacra opus erat, instrumenta iacebant; ibi mensam conspersisse cinere, cuius copia fuisset ex igne sacrorum causa accenso, arreptoque veru eoque in circini modum inflexo circulum coepisse describere, sicut, qui circumageretur, circini pes hostiam arriperet secumque auferret. sacra autem in palaestra Hermaea facta esse etc.

hanc Godofredi coniecturam prorsus amplexus est, qui alteram nubium recensuit editionem, Carolus Fridericus Hermann (opusc. Gotting. 1849 p. 264 sq.) ex splendidissimis scribens illam emendationem esse neque umquam elegantius aut facilius sanatum esse ullum locum corruptum, idemque fecere alii iudicium, tanti viri secuti auctoritatem, velut Teuffel (in edit. Lips. p. 46).

ego vero rem ita intellexi: esuriens adstitit Socrates mensae in palaestra constitutae: quam dicam illam mensam fuisse? nempe eam, qua hostiam secabant, dividebant, distribuebant sacrificantes. adstabant igitur eidem mensae sacrificio cenaeque intenti vel pueri vel servi vel famuli: ad quos adstantes accessit philosophus, carnis assae frustum aut petiturus aut arrepturus. atque illis, quaeso, ut artificiosissime, quod vellet, sua arte auferret, geometricam eum dicamus attulisse expositionem? in eadem igitur mensa, in qua iacebant assae carnis dissecta distributaque frusta, in conspectu sacrificantium cinerem dispersit Socrates, quo cinere exararet figuras. at o bone, quae verba illos demonstraturo ac cineres dispersuro daturos, quid manibus facturos fuisse probabile videtur? nam quis in eadem mensa ferret cum carnis assae frustis paratis cineres de ara modo collectos, quis inter cenantium petulantias doctorem de geometria nescio quid intempestive demonstrantem? nihil mirum, si manibus pedibusque repulissent eum, qui aut secandi distribuendique ordinem turbaret cineribusque pollueret carnes dissectas aut docendo demonstrandoque pelleret cenandi iocandique hilaritatem! sed admiserint philosophum, ut ridiculum; disperserit cineres suos, docuerit geometrica; num circino vel veruculo hostiae frustum arripuisse dicamus arreptumque abtulisse vel praesentium discipulorum manibus porrectis tradidisse? at qui talia non animadvertissent adstantes, profecto eos ipsos *κολοκύνταις λημᾶν* (v. 327) non iniuria putaveris; sane ridiculus fuisset deprehensus[6]) magister, ut qui, quae ultro petendo facillime impetrare potuit, furando ea accipere maluisset.

6) similem in modum iam Bothium (cf. Teuffel p. 46 ad v. 177) de ea re exposuisse ex eis intellegere licet, quae C. F. Hermann l. l. p. 265 attulit. nam in ea comoediarum editione, quam curavit alteram 1845, eundem Bothium video, Hermannianum illud *θυμάτιον* amplexum, ita fere rem constituisse: non ex mensa frustum aliquod victimae, sed ab humo prope mensam victimam ipsam aliquam ex minoribus velut agnellum, gallum, anserem fortasse lanii veru impacto tamquam uncino surripuisse. — at nihil assecutum esse arbitror virum acutissimum talia interpretando; neque enim video, qui id fieri potuerit, ut non viderint — id quod ipsi antea offensioni fuerat — id furtum magistri adstantes vel servi vel lanii.

sed satis esto de sacrificio illo; iam de palaestra magno opere dubito; nam quid illud *ἐκ τῆς παλαίστρας* in versu tertio? narrat seni discipulus in mensa cinerem dispersisse magistrum, tum veruculum curvavisse, post circinum manu sumpsisse; quae cum fecisset, — nam quo loco dispersisset, curvavisset, sumpsisset, nihil sane videtur ad rem! — sive vestem eum sive victimam aliquam surripuisse — ex palaestra? o miram discipuli, imo poetae narrandi artem! qui non acceperit a matre aut ab avia ab loco potissimum incipiundum narrantibus esse: in palaestra cum sacra fecissent, accessisse magistrum et veruculo curvato circinoque prehenso vel pallium vel hostiam vel quid aliud abstulisse.

intellegitur, ni fallor, id unum, non sanatum esse versum vexatissimum ne Hermanniana quidem illa hostiola.

atque Thiersch[7]), homo doctissimus, eadem fere, ut videtur, causa inductus, recipiundam statuit Ravennatis a priore manu transpositionem hanc:

κατὰ τῆς παλαίστρας καταπάσας λεπτὴν τέφραν,
κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβὼν
ἐκ τῆς τραπέζης θυμάτιον ὑφείλετο.

quam scripturam amplexus est Teuffel (in edit. sua p. 46 sq.) totum locum explicando ita: sic statim ab initio, ut par esset, scaenam facti indicari ac suum cuique tribui, palaestrae cinerem, mensae sacrificium. contra in ceterorum omnium (ipsiusque Ravennatis a sec. manu) librorum lectione offensioni esse articulum mensae nondum notae propositum. adstare Socratem in palaestra prope aram eiusque mensam, in qua fuissent sacrificii facti reliquiae, tum palaestram eum sparsisse cinere ex illa ara desumto — quid? palaestram sparsisse cinere ex ara allato, quo posset describere circulos? at arenae describendo aptissi-

7) Aristoph. p. 656 cf. Teuffel l. l.

mae satis superque praesto erat in palaestrae solo ipso; quid tandem cinere opus esset allato? — nam circa eam aram statuit Teuffel non fuisse arenam. verum quale quaeso statuamus solum circa aram fuisse in palaestra? an caespitibus viride? an tessellato opere subornatum? imo ad eam ipsam aram maxime opus fuisse hac ipsa arena videtur, qua hostiarum cruores absorberentur. quid ita? addit Teuffel, Thierschium secutus, figuras in palaestrae solo cineribus consperso dum contemplarentur circumfusi ipsumque eas explicantem audirent, Socratem manu sinistra ex propinqua mensa hostiam surripuisse et in pallio condidisse; sic pro crimine capitali esse multo levius; nam surripere cibi aliquid in aris relicti etsi non honestum, at tamen esurienti condonatum fuisse. —

sed de arena palaestrae hactenus: agedum contra ipsam palaestram, si efficere aliquid volumus, disputandum est, cui palaestrae dico prorsus nullum in his versibus locum fuisse.

nam primum, ut initium faciamus a pulice, discipulus narrat seni Strepsiadi v. 144, quanta quamque incredibili sagacitate Chaerephon excogitavisset, qua ratione, quod pulex persiluisset, spatium emetiundum esset. excogitaverat autem eo ipso tempore, quo pulsaverat ianuam Strepsiades, in phrontisterii penetralibus Chaerephon, quaeque modo intus facta essent, de eis Strepsiadem edocet discipulus, ut discipulum ipsum futurum. deinde de intestinis culicis pergit, quae respondisset ore divino Socrates ipse; quaesiverat autem Chaerephon quaerentique responderat ipse Socrates in eisdem phrontisterii penetralibus, quaeque intus dicta responsaque essent, de eis iterum edocet Strepsiadem discipulus. idem valet non solum de stellione, quem cacasse in Socratis caput gaudet senex rusticus, sed etiam vel maxime de eo, quod ut summum omnium postremum memorat, artificio geometrico, quod confecisset Socrates,

cum discipulis fame laceratis panis non fuisset. in phrontisterio excogitat, qua optime sedaret famem suorum; in phrontisterio figuras delineat, in phrontisterio — vel furatur. quodsi omnia in scholae penetralibus facta sunt, quid faciendum videtur de palaestra?

sane quidem id satis apparuit alienam eam esse ab hoc loco; iam mutanda sit an reservanda, videndum est.

ac Bergk quidem (in praef. ed. alt. p. XVIII) eversa palaestra ac toto versu mutato ita scribendum statuit.

ἐκ τῆς πάλης θοιμάτιον ὑφείλετο,

quod ipse interpretatur ita: clam ex cineribus eum cenulam sive ferculum protraxisse; *πάλην* idem esse, quod supra *λεπτὴν τέφραν*.

at multum fefellisse virum ingeniosissimum fiduciam, cum scripsisse ita poetam scriberet, magnis facile rationibus intellegitur.

ac primum quidem ego non video verbum in versu Graeco, quod hoc „clam protrahere" significet. nam *ὑφαιρεῖσθαι* clam auferre sibi, inscientibus aliis sibi surripere significat[8]). atqui sibi ipsi abstulisse magistrum *θοιμάτιον* ineptum est; sed protraxerit discipulis, non surripuerit sibi Socrates; unde tandem *θοιμάτιον* illud sumpsisse dicamus? nempe ex eis cineribus, quibus ante mensam consperserat. at protrahere non potuit *θοιμάτιον*, nisi quod antea supposuerat. non igitur clam protrahere

8) cf. Plut. 1139: *καὶ μὴν ὁπότε τι σκευάριον τοῦ δεσπότου ὑφέλοιο* (= cum tibi abstuleras insciente hero).
Vesp. 556: *οἴκτειρόν μ', ὦ πάτερ, αἰτοῦμαί σ', εἰ καὐτὸς πώποθ' ὑφείλου ἀρχὴν ἄρξας* (= si et tu umquam clam abstulisti tibi aliquid etc.).
Vesp. 958. 1201. 1345. Nub. 1199. Equ. 745 et alios.

cenulam, id quod Bergk vult, cum esurientes circumstarent discipuli neque oculos averterent a magistro cinerem praeparanti, imo clam supponere cenulam necesse erat, deinde protrahere in omnium conspectu.

quid plura? mittamus Bergkiana illa; nam num quid ipsi lucis afferre possimus versui obscuriori, iam tempus est experiri.

primum omnium id unum tenendum censui, si quid fidei habendum esset lectionibus antiquissimis, omnino non mutandum esse versuum ne verbum quidem aut syllabam; nam antiquissimam esse hanc codicum lectionem satis apparet cum ex scholiis, tum maxime ex Epicteti[9]) loco illo, ubi non solum *ἱμάτια* sunt et non nescio quae *θυμάτια* vel *θοιμάτια*, verum etiam *τὰ ἱμάτια* cum articulo illo, de quo tanto opere laboravere homines subtilissimi. quid igitur? si non emendare licebit locum, interpretando[10]) gerenda res est atque *τὸ ἱμάτιον* quid significet aliud, nisi pallium suum h. e. ipsius Socratis pallium? surripuisse igitur Socratem pallium suum interpretor e palaestra

9) diss. IV 11, 19 sqq.: *ἀλλὰ Σωκράτης ὀλιγάκις ἐλούετο. ἀλλὰ ἔστιλβεν αὐτοῦ τὸ σῶμα· ἀλλ' ἦν οὕτως ἐπίχαρι καὶ ἡδύ, ὥστ' ἤρων αὐτοῦ οἱ ὡραιότατοι καὶ οἱ εὐγενέστατοι καὶ ἐπεθύμουν ἐκείνῳ παρακατακλίνεσθαι μᾶλλον ἢ τοῖς εὐμορφοτάτοις. ἐξῆν ἐκείνῳ μήτε λούεσθαι μήτε πλύνεσθαι, εἰ ἤθελε· καίτοι καὶ τὸ ὀλιγάκις ἰσχὺν εἶχε.* (20). *ἀλλὰ λέγει Ἀριστοφάνης τοὺς ὠχριῶντας, τοὺς ἀνυποδήτους λέγω. λέγει γὰρ καὶ ἀεροβατεῖν αὐτὸν καὶ ἐκ τῆς παλαίστρας κλέπτειν τὰ ἱμάτια.* (21). *ἐπεί τοι πάντες οἱ γεγραφότες περὶ Σωκράτους πάντα τἀναντία αὐτῷ προσμαρτυροῦσιν· ὅτι ἡδὺς οὐ μόνον ἀκοῦσαι, ἀλλὰ καὶ ἰδεῖν ἦν*: quo de loco id unum constituendum censui ne Epictetum quidem, antiquioris aetatis hominem, satis perspectam versuum sententiam habuisse ac de furto aliquo hallucinatum esse, quod divino illi magistro, cui lotione nihil opus erat, poeta imputavisset. non miror id equidem, ut in homine Stoico.

10) Reisigii illam novam explicationem (praef. p. XXIV sqq.) iam pridem explosam videmus. cf. Suevern „Über die Wolken" p. 14 sq.

necopinantibus discipulis, quibus verbis nihil aliud significari videatur, quam abisse clam magistrum e palaestra necopinantibus discipulis, quemadmodum sermone nostro pileum baculumque prehendere idem valet, quod abiturum esse vel id ipsum [11]) abire. atque totam rem intellego ita: esuriunt discipuli; cenae nihil praesto est; tum magister ad mensam accedit veruculum manu tenens, quasi cenam aliquam discipulis praeparaturus. iam cinere exili conspergit mensam, cui cibos debebat imponere; veruculum curvat curvatumque cineribus ita imprimit, ut exerceretur figura geometrica, arcus quidam curvato veruculo similis; deinde — nam *εἶτα* particula ita disiuncta mihi veruculum et circinus videntur, ut sequi noluerim Hermannum, qui veruculum pro circino sumptum explicuit — circinum ipsum manu prehendit, circulum vel potius circuli arcum describit, ut problema geometricum nescio quod existeret — neque enim tradit discipulus neque intellexisset rusticus ille — atque cum omnes intendissent [12]) manus, oculos, mentes figuris contemplandis, considerandis, examinandis, ut paene obliviscerentur inediae famisque, arrepto clam pallio, quod ad philosophandum antea posuerat, abit magister e phrontisterio; nam qui fame premerentur, quos ipse modo figuris geometricis ac problematis refersisset! atque rusticus senex, qui id facile intellexerit pro cena figuras fuisse discipulis, exclamat, quid Thaletem illum admiratione dignum videri, qui numquam id effecerit, quod Socrates, ut geometria famem sedaret

11) cf. Acharn. 1139: *ἐγὼ δὲ θοἰμάτιον λαβὼν ἐξέρχομαι.*

12) cf. Equ. 418 sqq.: *ἐξηπάτων γὰρ τοὺς μαγείρους ἐπιλέγων τοιαυτί·*
σκέψασθε, παῖδες· οὐχ ὁρᾶτ'; ὥρα νέα, χελιδών.
οἱ δ' ἔβλεπον, κἀγὼ 'ν τοσούτῳ τῶν κρεῶν ἔκλεπτον.

discipulorum: eam esse popularem artem reique publicae utilem; itaque aperiret aperiret ostium, ut intraret intraret ipse discipulus futurus.

habes, quae de furto illo explicanda mihi statui; restat, ut de palaestra pauca addam; mihi quidem, id quod verbo supra significavi, intellexisse videtur discipulus non eam ipsam palaestram, in qua instituebat pueros homo *παιδοτρίβης*, sed ipsorum scholam, phrontisterium illud, quo in phrontisterio, ut in ipsa palaestra corpora, ita ingenia mentesque puerorum exercerentur. agedum effinge animo discipulos figuris, rationibus, sententiolarum verborumque subtilitatibus laborantes, quid habes aliud quam palaestram quandam Socratico-Chaerephonteam, qua semivivorum [13]) illorum versarentur exercendi animoli. ex palaestra igitur h. e. ex schola, in qua modo laborabant, cogitabant, inquirebant de arte quadam geometrica discipuli, surrepto ipsius pallio Socrates clam abisse dicitur atque dicitur non sine summa quadam malignitate atque ambiguitate clam abisse e palaestra, quo palaestrae nomine ei, qui Socratis cognitos haberent mores ac studia, facile de palaestrae circuitionibus illius puerorumque amoribus commonefierent.

ita fere interpretandus locus obscurissimus mihi videbatur: qua interpretatione utrum, quam desideravimus, lucem ipsi attulerimus necne parum scio; id unum operae me quantum potui dedisse explicando pro certo habeo [14]).

13) cf. v. 504: *οἴμοι κακοδαίμων ἡμιθνὴς γενήσομαι.*

14) restat, ut paucis attingam Bachmanni (coniecturarum et observatt. Aristoph. in specimine I 1878 p. 139 sqq.) de his versibus coniecturam: qui quidem, longe aliam emendandi totius loci ratus ineundam esse rationem, vv. inde a 169—79 tollendos esse constituit, ut ab eo loco, quo traditi sunt, prorsus alienos: nam post v. 168 aut extemplo recipiundum fuisse senem in disciplinam Socratis (!), cum iam ex eis, quae narravisset discipulus, perspexisset, quantum fructum ipse a Socratis di-

sciplina percipere posset, aut certe aliud quoddam etiam ingeniosius commentum addendum fuisse (!); at longe aliter procedere colloquium: quae iam sequerentur primum de stellione, deinde de hostiola, eorum alterum non solum prorsus abhorrere ab ipsa scaena, propterea quod vel derideretur ab utroque magister venerandus, sed ne rem quidem ipsam verbis satis bene significari [si quidem neque eius modi rerum caelestium investigatio recte *γνώμη* dici posset neque stellio eam *ἀφαιρεῖν* = eripere, sed potius *κωλύειν*, *ἐπέχειν* = interrumpere, interpellare; nam quod quis amitteret, iam ipsum possidere], alterum de hostiola prorsus nihil valere ad res Strepsiadis, quoniam non de comparandis, sed de servandis potius *ἀλφίτοις* ageretur. iam non dubium esse, quin vv. 181 sqq. post v. 168 collocandi essent, v. 180 autem optime se haberet post v. 153 collocatus hunc fere in modum:

165 *Στρ.* *σάλπιγξ ὁ πρωκτός ἐστιν ἄρα τῶν ἐμπίδων.*
ὢ τρισμακάριος τοῦ διεντερεύματος.
ἦ ῥᾳδίως φεύγων ἂν ἀποφύγοι δίκην,
ὅστις δίοιδε τοὔντερον τῆς ἐμπίδος.
181 *ἄνοιγ' ἄνοιγ' ἀνύσας τὸ φροντιστήριον,*
182 *καὶ δεῖξον ὡς τάχιστά μοι τὸν Σωκράτην*
183 *μαθητιῶ γάρ κτλ.*
et 152 (*μαθ.*) *ταύτας ὑπολύσας ἀνεμέτρει τὸ χωρίον.*
Στρεψ. *ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν.*
180 *τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν;*

vv. 169—179 autem suspicari se relictos esse e priorum nubium editione, in qua Strepsiades fusius collocutus videretur cum Socratis discipulis, ut versus illi essent diversorum discipulorum res domesticas imprudenter effutientium.

talia Bachmann; ego vero non potui non mirari, unde versus illi 181—83 et 180 aut qua ratione ad eum ipsum, quo libri exhibent, locum deferri potuerint atque ita deferri, ut cum tollendis illis v. 169—79 novum aliquid et iocosum et quod satis intellegas cum risu, si velis, exortum sit. neque minus miror summam illam elegantiam atque subtilitatem viri acutissimi, qui corrigendam sibi totam illam scaenam proposuerit; ut sequerer, a me non impetravi; non enim emendare studeo poetam summum, sed eis, de quibus ambigere licet, locis interpretandis aut restituendis, si possim, operam dare.